



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Cibus Electvs Sive Instrvctiones Sanctae De vita sanctè
traducenda& inter pios sanctósque affectus concludenda**

Elffen, Nicolas


Coloniae, 1667


[urn:nbn:de:hbz:466:1-55232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55232)





Pa. 3248.

J 16









CIBUS ELECTIVS

Habac. 1. v. 16.

SIVE INSTRUCTIONES SANCTAE

De vita sanctè traducenda & inter pios sancto-
rumque affectus concludenda

OMNIBUS VERÆ SANCTITATIS
AMATORIBVS

in solidum animæ cibum

OBLATAE

à R. P. NICOLAO ELFFEN
Societatis Jesu Sacerdote.



Col. Paderb.
N. M.

COLONIAE,
Typis PETRI HILDENÆ,
Anno 1667.
Cum Superiorum permissu & Privilegio
Cæsareo.

DE CIBO ELECTO

DOCTRINA
CHRISTI.

Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.

Ioan. 4. v. 34.

TESTIMONIUM VIRGINIS
DEIPARÆ,

Sub umbra illius, quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.

Cant. 2. v. 3.

ADMONITIO ANGELI
CUSTODIS,

Qui justus est, justificetur adhuc;
& sanctus sanctificetur adhuc.

Apec. 22. v. 11.



Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.
Mar. 4. v. 11.

ADMONITIO

ad Theophilum Christianum

Sapientiam loquimur inter perfectos.

1. Cor. 2. v. 6.

GRavis error ac deceptio eorum hominum est, qui passim jactitant, nolle se incedere nisi viâ communi, nec aspirare se velle ad coronas & merita Sanctorum illustrium, sed satis sibi esse modò salvi fiant & vel in ultimo Cœli angulo delitefcât, Ignavus enim verò animus, & qui longè absit, à sapientia illa Sanctorum, quam inter Perfectos loquebatur Apostolus, & ab inflammato illo eximia sanctitatis desiderio, quo & ipse Paulus ardebat, & quod primis suis Christianis inspirare conabatur inquiens: Non quòd jam acceperim aut jam perfectus sim: sequor autem si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Jesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis, Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Philip 3. v. 12. Tu Christiane, Theophile audi monentem Apostolum, imò audi Christum ipsum hosce tibi stimulos addentem: Estote ergo vos perfecti sicut Pater vester celestis perfectus est. Matt. 5. v. 48. Viam porrò perfectionis tibi præsens libellus aperit.

aperit

aperiet, cuius documentis spiritualibus, tu tanto magis fidere poteris, quod fide sincerâ proteſter ea eſſe conformia illis, quæ Magni Magiſtri Spiritus, è Benedictinis quidem Ludovicus Bloſius, è Carthuſianis Ioannes Lanſpergius, è Prædicatoribus Ludovicus Granatensis, è Franciſcanis D. Franciſcus ipſe, è Carmelitis Ioannes à Jeſu, è Societate noſtrâ Alphoñſus Rodericius, Franciſcus Arias, Iacobus Alvarez, Nicolaus Lanæicius, ſuis in operibus tradidere. Sint ergo tibi inſtructiones hæc breves tanquam Cibus electus qui cor tuum dilateſ ac corroboret, ut currere valeas viam mandatorum Domini.



INDEX

CIBI ELECTI.

PARS PRIMA.

De binis medijs ad conſequendam perfectionem valde efficacibus.

INSTRUCTIO I.

De examine particulari.

INSTRUCTIO II.

Ars meditandi, unâ cum ſeptem meditationibus pro ſeptem diebus hebdomada.

A 3

PARS

PARS SECUNDA.

Declina à malo.

De summa cordis puritate & vacuitate
à vitijs.

INSTRUCTIO I.

Homo puritatis perfecta studiosus, potius milles moriatur, quam semel mortaliter peccet.

INSTRUCTIO II.

Ad perfectam cordis puritatem spectat fuga omnium venialium peccatorum.

INSTRUCTIO III.

*Perfecta Cordis mundicies perfectum requirit
Passionum dominium.*

INSTRUCTIO IV.

De Custodia & moderatione sensuum externorum.

INSTRUCTIO V.

*De externa Christiani compositione & vitiatione
defectuum etiam inculpabilium.*

INSTRUCTIO VI.

*De abolenda obligatione pœnarum in purgatorio
sustinendarum.*

PARS TERTIA.

Fac Bonum.

De solidis virtutibus quas sectari debet Perfectionis amans,

INSTRUCTIO I.

*Qua sis indoles, & qua actiones humilitatis
perfecta?*

INSTRU,

INSTRUCTIO II.

De perfecta mansuetudine & tolerantia aduersitatum, præcipue persecutionum, quas patimur ab hominibus.

INSTRUCTIO III.

De amore solitudinis & silentij.

INSTRUCTIO IV.

De obedientia perfecta, quam perfectionis amans exhibere debet Patri suo Spirituali.

INSTRUCTIO V.

Traditur modus ad puritatem & castimoniam Angelicam entendi.

INSTRUCTIO VI.

Declarantur actiones paupertatis Christianæ & religiosæ.

INSTRUCTIO VII.

De perfecta Charitate Proximæ.

INSTRUCTIO VIII.

De cultu & veneratione Sanctorum, & festorum præcipuorum.

INSTRUCTIO IX.

De cultu & Amore Deiparæ Virginis.

INSTRUCTIO X.

De Fide, Spe, & Charitate in Deum,

PARS QVARTA.

Pij affectus cupientis sanctè mori.

8

Index

- Documenta quaedam infirmo observanda*
Preces Sacerdotis super agrum recitanda pro im-
petranda sanitate.
Exercitium virtutum Theologicarum.
Invocationes Iesu, Mariae, & Sanctorum.
Preces saecularia Infirmi.
Pia agri delicia.
Pia perceptio Sacramentorum.
Affectus pulchri, Mariae Bonaventurae Virginis
Romanae ante susceptionem Eucharistiae.
Testamentum hominis Christiani, quod susceptis
sacramentis praelegi potest infirmo.
Devotus agone mortis Christiani hominis.
Commendatio Animae ex Breviario Romano.



PARS



PARS PRIMA.

De examine particulari & meditatione quæ sunt bina media efficacissima ad perfectionem assequendam.

INSTRUCTIO PRIMA.

De examine particulari.

§. I. *Quinque documenta de nomine & affectione hujus examinis.*

I. **D**Uplex est examen, alterum generale sic dictum, quod in eo generatim omnia totius diei acta expendantur; particulare alterum, quod ad extirpationem certi & particularis alicujus vitij aut consecutionem certæ virtutis dirigatur. & instituitur modo, quo sequitur.

II. Manè firmum concipiendum est propositum certum istud vitium aut defectum seriò per diem emendandi aut virtutem ipsi oppositam exercendi.

III. Sub meridiem ac vesperam disquirendum est, quoties circa vitium, cui extirpando singulariter studes, lapsus fueris, aut quot virtutis contrariæ actiones exerceris cum dolore de lapsibus, ac emendationis proposito in futurum.

A 3

IV. Pro

IV. Pro quovis die binæ ducendæ sunt lineolæ, quarum altera antemeridiano, pomeridiano tempore serviet altera, ut sequens exhibet figura, & pro numero lapsuum virgulæ illis adscribendæ & ad finem linearum potest signari numerus exercitorum actuum virtutis oppositæ. Sciendum etiam, quod primæ duæ lineæ sequentis figuræ, serviant diei dominico, duæ sequentes diei lunæ & ita consequenter, quæ semper fiunt breviores propterea, quod quotidie lapsuum numerum decrescere conveniat.

Dies Dominica

Lunæ

Martis

Mercurii

Jovis

Veneris

Sabbathi

V. Hæ lineæ non in quavis abjecta chartula, sed in libello aliquo pluribus constante foliis, qui instar codicis spiritualium rationum, summâ curâ custodiendus est, ut in eo rationem spiritualis tui profectus diurni, hebdomadarij, mensurui, annuque perspicere & inter se se conferre possis.

§. II. *Octo alia documenta, de modo instituendæ examinis circa vitium aliquod vel defectum.*

I. **I**nitium faciendum est à vitijs, culpis & defectibus, & non continuo progrediendum

dum ad exercitium præcipuarum virtutum, priusquam vitia & defectus extirpati sunt aut suppressi. Hæc enim causa est, quare nonnulli post multos vitæ spiritualis exactos annos exiguum in via virtutis & perfectionis progressum fecerint, quod nimirum ab extirpatione vitiorum non duxerint initium, aut eidem studio non tribuerint sufficiens tempus.

II. In vitijs extirpandis inchoandum est ab ijs, quæ exteriora sunt, & magis incurrunt in aliorum oculos, adeoque in eorum animis generare offensionem & scandalum possunt aut certè molestiam creare, ut sunt mendacia, impatientia exterior, contentiones, curiositas oculorum, loquacitas, &c. nunquam autem plures simul, sed singulos lenim persequi defectus oportet.

III. Cum itaque pluribus te istiusmodi vitijs & defectibus obnoxium deprehendis ab eorum impugnatione incipe, quos facilis te subjugaturum credis, ne mox sub initium à victoriæ difficultate deterritus animum despondeas. Postmodum totus sis in edomando eo vitio quod maxime prædominatur, & radix ac fons est cæterorum, nec ab ejus persecutione desiste, donec ita subege- ris, ut jam aut nunquam, aut quàm rarissime in illud relabaris.

IV. Utque securius progrediaris, consule hæc super re directorem tuum spiritualem &
con-

conscientiæ arbitrum, atque ut hic melius tibi ac certiùs examinis hujus materiam præscribere possit, necesse est, ut te totum ei sincerè & candidè manifestes, & quænam passionès ac pravi affectus in te dominantur, & ad quæ peccata sis proclivior, aperias.

V. Quotiescûnque per diem in præfixum defectum laberis, pectus percutè, & dolorem ac detestationem excita, quod etiam clanculum alijs non observantibus ab industrio fieri potest. Valde quoque expedit, imò meo judicio necessarium est, ut ad quemvis lapsum, oppositæ virtutis actus exerceatur. hoc itaque est novum documentum, & ordine.

VI. Ut cum de vitio aliquo vel defectu particulare examen instituis, semper certos actus interiores virtutis contrariæ elicere studeas, sine hac enim cura non satis solidè in vitiorum extirpatione procedes, & postquam deinde alteri edomando vitio intentus fueris, continuo in prius illud recides, quia circa interiora non satis provisum est, ex quibus vim omnem in exteriora dimanare necesse est. Quocirca, si quando circa oculorum curiositatem superandam occuparis, sæpius per diem nunc ad Jesum, nunc ad Mariam suspira: *Modestissime Iesu, propitius mihi gratiam concede, ut rite oculos custodiam: Amantissima mater, ora pro me, ut oculi mei semper ad exemplum tuum bene ordina-*

na

nati sint. Subinde protestare: Absit à me mi Jesu, ut aliquid videam, nisi quod oculis tuis placeat, quam penitet me, mi Deus, quod toties oculis meis majestatem tuam offenderim: non committam posthac amplius in æternum. & simili modo in alijs materijs procede: Ita sequentes aspirationes servire tibi possunt.

Contra mendacia. Jesu mi, æterna veritas custodi à mendacio linguam meam. doleo ex intimo corde meo, quod unquã te mi Deus ullo mendacio offenderim: Mi Jesu, malo millies mori, quàm vel levissimum mendacium dicere.

Adversus impatientiam. Heu quoties scandalum præbui proximo impatientiã meã! doleo ex toto corde meo. O Jesu quam dulce ac jucundum est amore tuo pati. Patientissime Jesu, mitem me effice & mansuetum corde. O dolorosissima mater Maria, patientiam mihi impetra in omni adversitate & cruce.

Contra temerarias suspiciones & judicia. Domino suo stat aut cadit, quid tu judicas alienum servum? Nolite judicare & non judicabimini. Ego nullius cor penetravi: tu solus es mi Jesu, scrutator cordium & renum Deus. ipsi mihi difficilis reddenda est ratio, quid me aliorum rationibus immisceo? quid aliena curo?

VII. Sunt qui scrupulos seu lapillos tecum portent in saccis suis, & ad quemvis lapsum

sum aut virtutis actum, lapillum unum de altero in alterum saccum transferant. sunt qui errorum actuumque numerum in rosario designent. Placet industria, siquidem clam alijs & non advertentibus fieri possit, juvabit enim non parum ad citius expediendam sub meridiem aut vesperam discussionem.

VIII. In quavis exomologesi Sacramentali rationem redde de particulari tuo examine & quomodo per illud vel profeceris, vel in eo defeceris, manifesta, & specialem subinde de negligentia tua poenitentiam pete. imo ipse de te sub vesperam de commissis defectibus poenam exige, & vel pro numero lapsuum terræ oscula fige, vel orationem toties dominicam & salutationem Angelicam recita. idque expansis in modum crucis brachijs, & si in complendo numero actuum virtutis, quem tibi praestitueras, negligentiam admisisti, eam iteratis actibus compensa. De S. Ignatio memoriae proditum est, quod sub initium conversionis suae, cum in temerario inutil & superfluo risu, cui assueverat edomando desudaret, tot corpori suo ictus flagello sub vesperam infixisset, quoties se deliquisse deprehenderat.

§. III. *Sex documenta de modo instituendi hoc ipsam examen circa virtutes.*

I. **P**ostquam in edomandis vitijs satis te profecisse deprehenderis, totum te acquiren-

quirendis & inferendis virtutibus accinge, sed earum potissimum studio intendas, quæ sunt veluti radices & fundamenta cæterarum, quales sunt studium puræ intentionis: Patientia, humilitas, obedientia, conformitas sive resignatio voluntatis nostræ cum divina, impendium honestum & cura temporis, amor Jesu & Mariæ, & exercitium actuum Heroicorum.

II. Certa præstitue tibi tempora, quibus virtutum propositarum actus exerceas & quoties negligentem te fuisse comperies, tot virgulas consuetis lineis imprime.

III Sub initium decem quotidie actus elice, post aliquantulum temporis duodenos & ita semper progredere, donec ad continuam & perfectam animi tui cum Deo conjunctionem pertingas.

IV. Nec opus est, ut affectus elicias longiusculè, sed sufficit brevissimè ac ferventissimè illos elicere, juxta sequentes formulas.

Actus puræ intentionis. O mi amantissime Deus, Dñs, & Pater meus, omnia mea & singula verba, opera & cogitata ad tuam majorem gloriam dirigo. O mi Deus, quicquid ago, quicquid patior, amore tui solius & agam & patiar.

Humilitatis. Deus meus & Dominus meus, dignus non sum ego qui cælum intuear. O Deus meus, non sum dignus terram calcare; in qua tot ferventes ac sinceri
servi

serui Dei ambulant me multis partibus meliores: Miserere mei Deus, propter merita servorum tuorum, inter quos versor, qui longè tibi gratiores sunt quàm ego miserimus peccator. Utinam ita parvulum & abiectum præbere me possem, ut omnes super me ambulare, & tanquam lutum platearum conculcare possent. Ego sum qui peccavi, & peccatis meis omne malum totius mundi promerui.

Patientia. Domine, amore tui patior libentissimè nullâ etiam datâ culpâ quicquid pati possum. Da Domine, ut non desit hodie, quod amore tui sustineam, amori meo & sensualitati vel maximè repugnans. Benedictæ sint omnes horæ illæ, in quibus molesti aliquid & adversi sustinui. Benedictæ sint omnes creaturæ illæ, quæ mihi patientiæ occasionem unquam præbuerunt.

Obedientia. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum ad omnem voluntatem & nutum tuum per superiores meos mihi insinuatam, Hoc mi Deus, volo, hoc judico quod superiores mei & volunt & judicant, & iudicium meum iudicio ipsorum plenè subijcio. Domine, voluntatem superiorum pro mea reputo, hoc volo, hoc nolo, quod ipsi vel volunt vel nolunt.

Resignationis. Ecce Domine, paratum me, ut humiliter, abijciar, contemnar, & vilipendar, prout est sanctissima voluntas tua. Mi
sua-

suavissime Deus, tamdiu vivere cupio, quamdiu tibi placuerit, nec aliter mori desidero, nisi quando & quomodo tibi visum fuerit.

Impendii & cura temporis. Da mi Jesu, ut nec momentum totius diei sine fructu impendam. O quantum est precium temporis quod semel perditum, nunquam in aeternum recuperari potest! Nunquam mi Jesu, à praescripto mihi ordine diei vel latum unguem discedam.

Amoris erga Iesum. Tuus ego sum, O Iesu, tu meus es in aeternum, sive morior sive vivo, tuus sum, mi Jesu. O quam gaudeo, quam exulto, mi Jesu, quod tu sis, qui es. Deus cordis mei & pars mea in aeternum; Deus meus & omnia, amo te & amabo semper ex toto corde meo, super omnia, gratis, in aeternum & ultrà.

Amoris erga Deiparam. Tu mater mea es, ô Maria, ego filius tuus. Tu post Deum & Iesum tuum mihi dilectissima es, te stringo, te complector, vita, dulcedo & tota ratio spei meae. Utinam omnium animas amoris tui flammis incendere & inflàmare mihi liceat.

Heroica desideria. Malo millies mori, ô potentissima Deus, quam vel levissimo unquam peccato deliberatè te offendere. Mi amantissime Deus, amore tui felicissima omnia ex animo precor omnibus inimicis meis, etiam mihi infestissimis & infensissimis, ignos-

co omnibus ex toto corde meo, quicunque me unquam & quomodocunque offenderunt. Semper eligam, mi Deus, quicquid perfectius est, & tibi magis placitum. Ex duobus æque perfectis illud serio & sincerè opto, quod sensualitati meæ maximè repugnat. Oro te, mi Deus, ut amore tui contemnar & proijciar ab omnibus, & tanquam purgamentum hujus mundi fiam, omnium peripsema. Da Domine, ut prosperentur omnes inimici mei, & ego subesse illis & servire compellar. Hanc mihi gratiam concede, mi amantissime Deus, ut per abjectionem & exinanitionem meam magis magisque amplificetur & dilatetur gloria tua, & ego in conspectu hominum, instar faculæ vel thuris, quæ lucem alijs aut suavem odorem impertiunt, dispeream & evanescam.

V. Non est necesse omnes semper præmissarum virtutum actus exercere, sed ex omnibus eos tibi elige, in quibus majorem consolationem aut spiritualem gustum percipis, & eosdem sæpius itera.

VI. Cujusvis virtutis exercitiò mensem unum potes impendere, & post eum transire ad studium alterius, quanquam me auctore conducibilius faceres, si postquam extirpandis & edomandis pravis affectibus sufficientem operam impendisti, totum te ad consequendam humilitatem conferas, & in ejus unius studio totam reliquam vitam

con-

consumas, ita tamen, ut breve aliquod aliarum virtutum exercitium liceat interponere, de quo particulare examen instituat, ut de servando ordine diei, &c. sed mox ad idem studium redeatur, illudque continetur modo, quo sequitur.

§. IV. *Declaratur modus instituendi examinis particularis de Humilitate.*

I. **C**UM nemo verè humilis corde esse possit, sine speciali Dei gratia & auxilio, ante omnia oportet te exerceas in excitando frequenti & ferventi ejus virtutis desiderio & crebrò eandem à Deo postules. v. g. Humillime Jesu, verè humilem me effice amore tui & ad exemplum tuum. O amantissima mater mea Maria quando humilis ero ad exemplum tuum in verbis, actionibus & cogitationibus meis ! O bone Jesu, custodi linguam meam, ne unquam in propriam laudem jactabunda prorumpat, &c. Hi, vel alij similes primi erunt affectus tui in hac materia humilitatis, & tunc simul invigila, ne unquam nec incidenter quidem aut indirectè quicquam loquaris, quod in propriam laudem & commendationem cedat.

II. Exerce te strenuè in profundissima cognitione tui ipsius, & ut te reputare possis pro abjectissimo & vilissimo mortalium omnium, & peccatorum maximo, minimo justorum, serio perpende causas vilitatis infra explicandas Parte 3. instruct. I. §. I. & sa-
penu-

penumeroverſa brevem aliquam aſpirat ſun-
culam in hunc v.g. modum: Quid ô Domi-
ne Deus meus, aut ſum aut poſſum ex me ip-
ſo, niſi purum putum nihil? & quomodo a-
lijs vanè ac ſultè præferre me audebo? totus
mi Deus confundor & erubeſco, quando in
memoriam revoco tot iniquitates & pecca-
ta mea, de quibus irrefragabile pertulit te-
ſtimonium contra me conſcientia mea, &
qualia de nullo alio certò mihi conſtant?
Obſtupefco mi Deus, quomodo adhuc tel-
lus me ſuſtineat tam grave & inutile pon-
dus. Dignus ſum. Domine & milles, quem
proijcias à facie tua, & omnibus auxilijs gra-
tia deſtituas, ut qui toties ea mihi tam libe-
raliter & paterne præſtita, tam impiè & ma-
litioſè repudiavi & aſpernatus ſum. O quo-
ties meritus ſum, ut ad inferos de truderer
æternum cruciandus! Dignus ſum omnium
pedibus proteri & conculcari. Exhorreſco
Domine, à judicijs tuis, fortè deletus ſum de
libro vitæ, & expunctus ex electorum tuo-
rum albo, in quem tamen multi alij, qui
nunc graviffimis degunt obnoxij ſceleribus,
miſericordiſſimè relati ſunt. Præcipis Domi-
ne, ut omnium viliffimum ac minimum me
reputem: Ego ſum Domine, ego ſum dig-
niſſimus, qui infra omnium plantas prote-
gendus abiiciar. Durante hoc exercitio de-
certandum tibi eſt contra tentationes vanæ
gloriæ & temeraria omnia judicia, & ſi quæ
fortè

fortè se ingerant, cognitione nihili tui repelle & propulsa, nec enim par est, ut in corde humili & submisso locum inveniant ejusmodi judicia & vanitates.

III. Non sufficit generalis illa tui ipsius notitia, sed ad particularem magis descendendum est, & ad omnes totius diei actiones extendenda. Ita dum surgis, dic : Domine Deus meus, en iterum mihi diem concedis, quâ salutem meam operer, quam toties insipiens perdidisti. Dum orationi te accingis: adhuc te, mi Deus, cum angelis tuis laudem & deprædicem, qui toties merui inter Caco-dæmones residere & æternum te blasphemare? Dura prandes aut canas: O Deus, toties sempiternam famem & sitim promeritus sum, & adhuc cum filiis Dei pascor, & reficior? Cùm laboras: Domine, hoc labore promereri & amplificare possum gratiam tuam in me, quâ omni ex parte sum indignissimus. Cùm alijs loqueris: O mi Deus, si homini huic perspectus essem, calce me à se repelleret & merito. Cùm peccata tua apud Sacerdotem deponis: O quoties per hoc sacramentum ablutus & mundatus sum, & mox sædius me cõtaminavi. Cùm sacram Sy-naxin accedis: Qui fit mi Jesu, quòd toties margaritas tuas proijcias ante porcos? Cùm transis plateas, mirare, quòd adhuc terra te sustineat, tam inutile & abominabile pondus, sæpe sæpius animo repete: Ego peccatorum

torum maximus: ego justorum minimus:
 ego purum putum nihil, & si quid nihilo
 vilius: Indignus, quem terra ferat: hoc u-
 nicum à te supplex rogo, mi Deus, ne proij-
 cias me à facie tua in aeternum. Hac itaque
 ratione collabora, ut in omnibus & ex om-
 nibus actionibus tuis occasionem humilian-
 di tui captes, & simul etiam invigila, ne in-
 terea quicquam in compositione corporis
 & moribus ac gestibus exterioribus appare-
 at, quod cognitioni tui ipsius adverfetur.
 Propterea non jaetabis huc & illuc brachia:
 nec incedendo reciprocabis corpus: nec in
 egressu ingressive impetuosè claudes janu-
 as: nec oculis liberè circumvagaberis: nec
 altiùs quàm par est, aut risum aut vocem ex-
 tolles: nec inter sedendum aut commodita-
 tis, aut gravitatis causà alicubi te acclinabis,
 &c. ut verbo absolvam, quicquid vel speci-
 em habet, aut libertatis aut impudentiæ aut
 dissolutionis, aut proprii cerebri, aut alteri-
 us cujusvis affectionis minus modestæ, &
 quicquid demum aut affectatum, aut Thra-
 sonicum est, id omne tanquam minus con-
 veniens interiori illi animi demissioni, de
 qua agimus, fugiendum & rescindendum est.
 etenim qui verè humiles sunt & ejus, quam
 Christus verbo & exemplo docuit, humili-
 tatis imitatores in exterioribus actionibus &
 moribus suis modestiam, compositionem
 verecundiam & pudorem præ se ferunt, &
 verbo

verbo

verbo ut dicam, irreprehensibiles sunt. Vicissim cavent, ne in rebus & operationibus suis sint sordidi, nec abjecti & pusilli animi: nec etiam in oculis aut vultu aut universo agendi modo ulla se prodant vafrities, duplicitas, fraudulentia: simplicitas, & sinceritas soror est humilitatis, quæ in Christu cum quibuscunq; conversatione, manifestè semper emicuit.

IV. Excita ferventia desideria, quibus seriò exoptes ab alijs etiam contemni, vilipendi, irrideri, ludibrio haberi, falso deferri, deponi, supprimi, & alijs quibuscunq; modis, quantumvis injustis & indignis vexari & versari, & cum humiliatiõis occasio oblata fuerit, etiam atque etiam vide, ut eam non tantum sine omni vel minima sive exterioris sive interioris impatientiæ signo, sed grato potius, tranquillo lætoque animo amplexeris & stringas. Adhæc in exterioribus quoque humilitatis operibus te gnaviter exerce elige semper postremum potius, & deteriorem, quàm primum & honoratiorem locum; simplici & modesto utere habitu: libenter conversare cum pauperibus simplicibus & idiotis: servilibus libenter obsequijs operam tuam impende: invise debiles & infirmos, & ijs, quantumvis abominabili infectis malo, promptè deservi, &c.

V. Seriò & ex animo habe Deo grãtias pro omni humiliatiõne tuã, quam aut passus

lus

sus es haecenus, aut patienda restāt imposte-
rum. Candidum in animo tuo accende a-
morem erga inimicos & persecutores tuos:
ex corde vove & opta, ut nec post mortem
tuam in aliorum mentibus oblitteretur sini-
stra, quam de te conceperunt, existimatio,
modò ne Deus offendatur. Atque ut hi af-
fectus tui plus meriti habeant, diversarum
aliarum virtutum motivis consperge, pra-
sertim puri amoris Dei. Jam verò quisquis
ad hunc tam sublimem humilitatis gradum
pertigerit, nunquam ille nec fidelissimis et-
iam amicis suis, quas occultè patitur adver-
sitates & molestias, injurias & calumnias so-
latij captandi causa revelabit, quin potius o-
mnibus viribus collaborabit, ut ea omnia &
torum interiorem animi sui statum occul-
tum & secretum custodiat, imò etiam ea
nonnunquam sancta quadam simulatione
operabitur (quantum tamen status ejus &
conditio patitur, & citra Dei offensam fieri
potest) quae in sinistram & deteriorem acci-
pi partem possent, & majorem contemptum
atque despectum causare. Haec sunt industriae
& strategemata eorum, qui in vita spirituali
longius proveci sunt: haec est sapientia, ut
loquitur Apostolus, inter perfectos, & quam
te melius, quam ego, Magister tuus Christus
edocebit, si modò ejus te disciplinae tanquam
docilem, & fidelem discipulum promptè li-
beraliterque commiseris.

INSTRU-

INSTRUCTIO SECUNDA.

Ars meditandi unà cum septem meditationibus pro septem diebus hebdomadæ,

§. 1. *Quid & quotuplex oratio?*

HÆc utilissima juxta ac prorsus necessaria quæstio principio resolvenda est, ut natura & affectus meditationis ex fundamento eruta fiat perspectior. Oratio itaque in genere aliud non est, quàm devota mentis elevatio in Deum, vel clarius, est familiare colloquium, quod homo instituit cum Deo, vel tanquam filius cum Patre, vel sponsa cum sponso, rogando eum, ut quicquid vel animæ vel corpori noxium est, propitius avertere, & quicquid in rebus vel temporibus, vel æternis necessarium ac salutare, benignè largiri dignetur. Hoc autem pium orantis colloquium dupliciter institui potest, vel Ore, aliisve signis exterioribus, & dicitur oratio vocalis, vel mente tantum interior & affectu, & vocatur meditatio & oratio interior. Vocaliter orat, qui pia & sancta quæcunque verba cum motu labiorum ac linguæ depromit decantatve. ubi tamen advertendum est, ad hoc ut prolatio ejusmodi verborum sit vera oratio, non sufficere nudam prolationem ore factam, sed necessariam quoque esse mentis ad eandem advertentiam & auscultationem, quantum quidem humana fragilitas patitur, ne Deus nobis obiciat & improperet illud *Isai. 29. v. 13.*

B

Hic

*Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum
procul est à me.* Atque ut eiusmodi oratio cum
majori fructu perficiatur, requiritur 1. At-
tentio, ut vel ad sensum verborum adver-
tas, vel aliud interim devotum mysterium,
v.g. passionis Christi, animo ruminas, vel ad
ipsa saltem verba attendas, ut rectè & di-
stinctè pronuncientur. 2. Reverentia, quam
assequeris, si oculos vel modestè clausos te-
neas sine ulla circumvagatione, vel in piam
aliquam iconem, vel expositum in altari ve-
nerabile Sacramentum, vel in apertum ante
te precatorium libellum devotè conijcias: si
manus aut reliquum corpus inordinate non
motites, si genua flectas &c. 3. Tarditas si-
ne præcipitantia, ut tantum saltem moræ
tribuas verbis tuis, quæ cum Deo facis, quan-
tum impendere soles, si quando cum viro
aliquo in auctoritate constituto, uti cum
Principe aliquo vel rege loquendum tibi est.
Cave etiam, cum in templo versaris, ubi
plures sunt præsentés, ne ore sibilés, aut
alium editiorem edas sonum, quo alios in
oratione turbes, aut aliam quamvis quo-
cunque inconcinno gestu ac habitu mole-
stiam aut fastidium crees. 4. Puritas, ne
quid inter orandum interveniat, quod deli-
cti culpam mereatur, uti sunt distractiones
voluntariæ, vel negligenter repulsæ.

Meditatio sive oratio interior est, quâ in-
teriores solum animæ rationalis potentia si-
ne mo-

ne motu labiorum & linguæ, aut exteriori quavis prolatione verborum circa Deum & divina mysteria exercentur, cum collo- cutione interna & familiari cum Deo de re- bus spiritualibus & æternis, quam orandi rationem Christus ipse Samaritanam docuit Joan. 4. v. 24. Quando interroganti huic de loco orationis in hæc verba respondit: *Spi- ritus est Deus, & qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare.*

§. II. Quid Meditatio sit, prolixius declaratur.

VT melius intelligatur, in quo meditatio consistat, sciendum est & tanquam fun- damentum, supponendū, tres esse in anima hominis potentias, videlicet Memoriam, In- tellectum & Voluntatem. per memoriam reminiscimur præteritorum, & ea etiam quæ adhuc futura sunt, nobis repræsentamus: per intellectum circa ea, quæ memo- ria obiicit, variè discurremus, & ratiocina- mur, & quævis pondere ac momentis suis expendimus & ponderamus; per volunta- tem denique ea, quæ perpenſa sunt, vel am- plectimur vel reiicimus, prout aut bona aut mala esse deprehensa sunt. Jam verò & ad bonum & ad malum tribus istis facultatibus uti possumus, exempli gratia: ante medium annum aliquis alteri injuriam intulit, & gra- viter ejus honorem & famā læsit: id primò memoriæ occurrit, *Et ecce, tacitus inquit;*

nubulo iste ante medium annum tali me calumniâ
 perstrinxit, & mox exactius singula expen-
 dens examinatis omnibus adjunctis. Itane
 verò! cogitat, iste homuncio, cui tantum boni
 prestiti, quem tot cumulavi beneficiis, hoc mi-
 hi facit! tam importunis me laceſierit verbis,
 tam injuriosis, idq; in presentia tot hominum
 honestissimorum &c. ac denique perversa sub-
 sequitur voluntas. Non feram, non patiar,
 par pari referam, non sic abibit inultus. Ecce
 speciem meditationis, sed pessimæ: è con-
 tra itaque si simili ratione exercean-
 tur tres animæ facultates circa mysteria fi-
 dei, veritates divinas & Evangelicas, &
 quancunque aliam materiam piam & spi-
 ritualem, quæ ad Dei gloriam & animæ sa-
 lutem referatur, pia, sancta, laudabilis ac
 salutaris meditatio est: exemplo rem de-
 clarabo. Sit instituenda meditatio de cruci-
 fixatione & morte Christi, primum exercen-
 da est memoria & ob animum ponenda ipsa
 historia sive mysterium, consultum etiam
 est & utilissimum circa illud elicere actum
 fidei cum proferatione, quod firmissime
 illud credas ob Dei infinite sapientis & ve-
 racis auctoritatem & revelationem, paratusq;
 sis pro eo articulo vitam & sanguinem si o-
 pus sit, profundere. Tum sequatur discursus
 intellectus, expendendo & discutendo om-
 nes circumstantias crucifixi & morientis
 Christi, ut quis sit qui patitur & moritur?
 nempe

nempe

nempe unigenitus Dei filius: quo loco? in monte calvariae: quo tempore? in solemnitate Paschae, in meridie: quanti sint & quam multiplices dolores & cruciatus, quos tolerat? maximi & ineffabiles: quinam sint persecutores & tortores? Judaei, gentiles, Caeodæmones: pro quibus moritur? pro nobis hominibus, pro amicis & inimicis, ipsis etiam crucifixoribus, carnificibus & tortoribus: quo affectu? ferventissimi amoris & desiderij adhuc plura patiendi: quænam in hac morte ejus elucescant virtutes? plurimæ & excellentissimæ, videlicet obedientia, patientia, humilitas, paupertas, amor Dei & proximi &c. quomodo se in hoc actu gerit Beatissima Virgo Dei Mater Maria? tristissima & afflictissima est, & amara facta est contritio ejus, at simul tamen constantissima & in Dei voluntatem resignatissima? quis fructus mortis Christi? redemptio totius humani generis.

Hujusmodi circumstantiæ vel omnes vel aliquæ, in quibus majorem quis percipit devotionis gustum & spiritualem fructum, expendendæ & ruminandæ sunt, interim etiam adjungere licet pulchram aliquam aut similitudinem aut ex sacro codice depromptam sententiam, aut SS. Patrum testimonium, quæ materiam præsentem magis dilucidant atque confirmant, & inftar apud argumentorū ex floribus divinorum mysteriorum tam

diu exugere succum debes, donec intellectus convincatur, & ad pium aliquem atq; debes, ardentem affectum inflammetur voluntas, quæ tum demum & ipsa suo fungetur munere, & diversarum virtutum eliciet actus, bona concipiet proposita, ac pijs & ferventibus insistet affectibus. Eiusmodi autem affectus nunc dirigentur ad Deum, quem ex toto corde diligere, cui se totum committere, in quo solo spem suam ponere, quem ob bonitatem & pulchritudinem suam magnificare & laudare, cui ob præstita nobis beneficia reddere gratias, cuius sanctissimam implere voluntatem oportet: nunc ad proximum referentur; ut illi in necessitatibus, quæ temporalibus quæ spiritualibus pro virili opitulari, & salutem ejus tum animæ tum corporis procurare & promovere, illi ad omne bonum prælucere exemplo, illum amare, quantumvis inimicum & infestum, ipsius defectus & onera æquo animo tolerare &c. desideremus & proponamus. Alias ad nos ipsos ordinabuntur, ut cum odium nostri ipsorum excitamus, certa poenitentiae & mortificationis opera suscipimus, dolorem de peccatis concipimus: ob vilitatem & nihilum nostrum confundimur & erubescimus: proponimus emendationem vitæ; statuimus sectari impofterum maximam conscientiae puritatem, exercere heroicis virtutum præstantissimarum actus &c.

In hisce itaque, quæ diximus, consistit tota ratio & ars meditandi, hoc est orare interiorius, nimirum tres illas animæ potentias exercere circa mysterium aliquod divinum, ejus per memoriam reminisci, per intellectum circa illud discurrere & adjuncta ejus enucleatè perscrutari, ac denique per voluntatem pia & salutaria excitare desideria, affectus & proposita. Et hujusmodi oratio Deo imprimis grata, animæ salutaris, atque idcirco à viris probis ac sanctis & perfectionis ac virtutum studio deditis semper in usu ac flore fuit, quemadmodum & de se restatur Apostolus. 1. Cor. 24. v. 15. *Orabo Spiritu, orabo & mente: psallam Spiritu, psallam & mente.*

§. III. *Quo pacto se se ad meditationem die antecedente preparare oporteat.*

I. **C**onservanda est conscientia pura & integra; & à noxis etiam venialibus immunis & libera, hæ enim sunt instar Scabiei, quæ cœlestem absterret sponsum, quo minus ejusmodi animam amplexetur & exosculetur. Sunt velut pulvisculus, qui quantumvis exiguus oculorum tamen aciem obtundit ac lædit, & quo minus eam in rerum divinarum contemplationem intendat, impedit: Scriptum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matt. 5. v. 8.

II. Edomandæ sunt passionēs, & pravi animi affectus iræ, invidiæ, superbiæ &c. *hæc*

nim etiam tempore orationis mentis tranquillitatem interturbant: notum est, quando aqua vivarii aut piscinæ limpida & quiescens sunt, oculos nostros ad fundam usque penetrare, nec minimos etiam pisciculos aciem eorum effugere, at cum turbantur aut ventis agitantur, nullos omnino comparere pisces; ita prorsus cum animo comparatum est, quando ille passionibus inordinatis inquietatur capax non est ad cōtemplandas & percipiendas veritates divinas, & cum propheta lamentari cogitur. *Turbatus est à furore oculus meus. Ps. 6.8.*

III. Nunquam effundendum est cor ad res terrenas & sensuales; sensus quoque exteriores ab omni inordinatione custodiendi sunt, præsertim oculi, aures & lingua, in quo tenenda est regula præscorum Patrum, quorum effatum erat, *hominem orationis studiosum oportere cæcum, surdum ac mutum esse.*

IV. Vesperis, priusquam incumbatur, tardè ac consideratè prælegenda est materia si-ve puncta meditationis ex aliquo libello, & inter legendum danda opera, ut omnia rectè intelligantur, & prævidendi etiam sunt affectus congruentes, qui ad quodvis punctum excitentur, ac denique quantum humana fragilitas permitrit, elaborandum est, ut memoriâ retineantur.

V. Postquam incubuisti &, ad quietem te composuisti, rursus futuræ meditationis puncta

puncta quàm brevissimè recole, ac simul Angelum tuum tutelarem roga, ut te præstituto tempore excitare dignetur, illi vicissim promittendo, quod vocem ejus audire & ad datum signum continuò deserere lectulum ve'is. Ac deniq; ut in modo vespertinas persolvendi preces edoctus es, complicatis ante pectus in modum crucis brachiis dic: *In vulneribus amantissimi sponsi mei Iesu & in sinu dilectissimæ matris meæ Mariæ dormiam & requiescam.*

§. IV. *Quid ipso meditationis die manè ante ipsam præstare oporteat.*

I. **Q**uamprimum tempus surgendi advenit, nihil cunctare, sed sine ulla mora de lecto consurge, angelico tuo excitatori obsecundans, alioquin enim de cætero non excitabit, ne actum apud te agat.

II. Mox omni studio cor tuum ad Deum dirige & ipsi primitias cogitationum tuarum offer: nullas admitte de rebus terrenis phantasias, aut imaginationes, alioqui te ad meditationem ipsam comitabuntur & ad finem usque tecum perstent. Primæ cogitationes tuæ post formatu signum crucis possunt esse illa verba Apost. *Humiliavit semetipsum Dominus noster Iesus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis Phil. 2. v. 8.* & mox tecum statue in sequentem modum. *Hodie amore Iesu mei & ad ejus exemplum serviam Deo caelesti Patri meo in humilitate pa-*

te pa-

te patientia, obedientia, & plenissima observatione mandatorum & inspirationem ejus usque ad defatigationem corporis & anima mea.

III. Revoca in memoriam meditationem & puncta ejus brevissimè recole & ardens excita desiderium eam rectè instituendi, tum vestes indue, & preces matutinas juxta instructionem supra datam persolve.

IV. Quod si meditationis puncta tibi excidissent, ne turbare, sed post absolutas preces matutinas ea relegere, imò etiam durante meditatione licebit tibi ante te librum explicare, ut si fortè memoria defecerit, inde juvari possis; nam & hoc de S. Theresia memoriae proditur, quod multis annis sub meditatione uti libro coacta fuerit, nec sine eo meditari quicquam potuerit, postmodum nihilominus ad sublimissimum orationis interioris & contemplationis gradum post tam diurnam desolationem à benignissimo Deo evecta est.

V. Cum hora meditationis instat, aqua lustrali te consperge & immotus paulisper consistens considera per unum circiter pater noster, quo pacto Angelus ceterisque tutelares & divi patròni, ac sancti omnes cum Beatissima Virgine ac Deo ipso te contemplantur de cœlo, & vehementer optent ut instantem meditationem quam perfectissimè instituas, & mox uno alterove passu progressus profundissimè inclinatione corporis

poris venerare imaginem matris tuæ Deiparæ, ac denique cum viva fide & interiore adoratione præsentis Dei in genua proolvere, & quàm demissimè usurpa illud Patriarchæ Abrahamæ: *loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.* gen. 18, 27.

§. V. *Quid in ipsa meditatione faciendum.*

Meditatio quatuor constat partibus, quæ sunt oratio præparatoria præludia, consideratio punctorum cum congruentibus affectibus & colloquium.

I. Itaque est oratio præparatoria, quæ gratia petitur rectè & cum debita devotivæ, attentione & fervore meditandi, quæ vel propriis verbis concipitur, vel jam alias concepta usurpatur, qualis est quæ sequitur: *Ecce, Deus meus, hic sto in conspectu tuo. licet illo undequaque indignissimus & accensus, te magis magisque amandi atque laudandi desiderium, cupio quàm perfectissime instituerem præsentem meditationem meam, sed ex me nihil possum, nec quod magis dolendum est, ob antecedentem negligentiam meam ullo modo dignus sum, quem tu adjuves gratiâ tuâ, sed respice in faciem Christi tui & merita dilectissimæ matris ejus & omnium sanctorum & miserere mei, per efficacem gratiam tuam trahere memoriam meam ad te, ut nihil cogitet nisi te: illumina intellectum meum, ut nihil scrutetur nisi te: inflamma voluntatem meam, ut tui solius amore inardescat ex hoc nunc & usque in sæculum. Amen.*

II. *Quem.*

II. Quemadmodum Concionatores & oratores in principio dictionis suæ brevi aliquo utuntur exordio & præfatione, ac tunc demum ad ipsam orationem progrediuntur ita & in principio amorosi hujus cum Deo colloquii brevis aliquis ingressus & præambulum præmittendum est, & quidem cum de historia aliqua meditatio instituitur, triplex præludium præmitti solet, in primo strictim percurritur ipsa historia. v. g. Christus Dominus meus in monte Calvariaë tribus clavis crucifigitur; tum in altum extollitur, & ita sublimis pendet tribus integris horis coram innumerabili hominum turba, ac denique morte defungitur in summa paupertate, cruciату & ignominia. In altero imaginatio certo loco affigitur. v. g. imaginando libi & ad vivum representando ipsum montem Calvariaë & pendulum in eo de cruce Christum Dominum, ac circumstantem turbam, ad eum modum quo depingi illa solent. In tertio gratia postulatur præsens mysterium ut par est, expendendi & congruentes affectus excitandi. Quod si non de aliqua historia, sed alia quadam veritate habenda est meditatio, ut de morte, judicio &c. duplex sufficit præludium, alterum, quod imaginationem loci, alterum, quod postulationem gratiaë complectatur.

III. Absolutis quæ brevissimè ad spacium unius aut alterius miserere præludijs ad ipsa
 pun.

puncta progredere, & ad singula exerce memoriam intellectum & voluntatem, prout jam supra declaratum est. forma discursum materiæ subjectæ congruentem, & accommodatos elice affectus, cum propositis practicis in tali ac tali occasione exercendis (occasionibus tamen ejusmodi obijciendis non diu immorandum est, ne animus ad alia abstrahatur) & memor infirmitatis atque inconstantia tuæ, quâ sæpe multa bona proponis & pauca præstas, gratiam divinam in colloquio implora, & hæc est.

IV. Pars, colloquium, in quo caeleste postulatur auxilium opere complendi ac perficiendi, quod cognovisti & in conspectu Dei præstare decrevisti. Et si placet, non unum solum sub meditationis finem, sed plura post singula puncta institui possunt, unum ad Angelum custodem, alterum ad Beatissimam Virginem: tertium ad Christum, quartum ad sanctissimam Trinitatem, ac denique meditatio terminatur dicto, *Pater noster* &c.

§. VI. Quid absolutâ meditatione præstandum.

I. **F**initâ oratione obambulando successum ejus examina, & quo modo præludia, discursum, affectus & colloquia institueris, expende: si bene successerunt omnia, age Deo gratias, dictâ semel doxologiâ: *Gloria Patri & Filio* &c. sin aliquam admisisti negligentiam vel culpam, dole cum proposito defe-

defectum hunc aliis piis exercitiis refarcendi.

II. Sæpius per diem animo recole & renova, facta in meditatione proposita, reminiscendo simul perspectarum veritatum & principiorum, ex quibus ad ea concipienda motus & incitatus es.

§. VII. Documenta quadam meditantur perutilia.

I. Fixum & statutum habeas meditationis tempus, & locum; & tempus quidem opportunissimum est matutinum statim à somno, priusquam alias occupationes aggrediare, & minimum durabit per semihoram, melius autem per horam. locus, quò est quietior & à turbis omnibus segregatior, hoc est commodior & convenientior.

II. Materia consueta meditationis potest esse exemplo magnorum sanctorum, historia vita & passionis Christi, & hanc ob causam in sequentibus septem meditationibus pro totidem hebdomadæ diebus pro materia earundem præscripta sunt præcipua Christi patientis mysteria, & quævis meditatio in quatuor puncta distributa est, eaque tam fertilia, ut facile uno etiam alterove puncto præstitutum tempus impleri possit.

III. Si in uno aliquo puncto satiatur animus & desideratum percipit devotionis gustum, ne festines ad alia, sed illi immorare ad finem etiam usque meditationis, & tunc alio

tem.

tempore reliqua puncta expendi possunt.

IV. Inter discurrendum ne sublimes lectare conceptus, aut phalerata quære verba, quò simplicius conversaberis cum Deo, hoc ipsi eris gratior, quia cum simplicibus est sermocinatio ejus. plus etiam temporis tribuendum affectibus & propositis, quàm discursibus & ratiocinationibus, quia illi plus apud Deum meriti, apud animum tuum plus utilitatis & necessitatis habent.

V. Quia meditatio efficacissimum & præstantissimum medium est ad extirpanda vitia & inferendas necessarias virtutes, hinc ordinariè & quantum fieri potest meditationem tuam diriges ad illud vitium superandum, circa quod magis impingere, & eam virtutem assequendam, in cujus exercitio plus difficultatis percipere consuevisti. immò quotiescunque generatim in pia aliqua desideria effervesces placendi Deo, expiandi peccata, sectandi perfectionem, mox ad particulare illud vitium & virtutem descende, & circa hæc opere ipso ostende, quàm seria & efficacia fuerint antecedentia generalia desideria tua.

VI. Quantum ad exteriorem corporis habitum & compositionem attinet, ad eam te compone, quam ad interiorem devotionem & attentionem noveris tibi expeditiorem: communiter melius est genibus flexis, aut rectè stando orare, quàm sedendo, quod si ta-

men in flectendo sentias difficultatem, non prohiberis sedere. vide interim, ne alicubi acclineris, & cum debita reverentia & modestia confideas in eo situ & habitu corporis, quem assumeres cum Rege aliquo aut magnate locuturus, qui conscius infirmitatis tuæ te coram se considerare iussisset, Quod si quoque depredendas, modestam aliquam inambulationem ad melius ac devotius ræditandum expedire, nec ista tibi interdicitur, modo in tali locosis, ubi aliorum nemini aut offendiculum aut impedimentum adferas.

VII. Manus quoque quantum fieri potest, inter orandum immotas tene, & à fricando etiam, quantumvis ex pruritu aut morsu unguis molestiam sentias, cohibe, hæc quidem exigua sunt victoriolæ, ex diuturna tamen & continua earundem frequentatione ingentes meritorum ac gloriæ cumuli reponuntur in cœlis, & æque Deo accepta sunt, ac bini isti denarii à paupercula vidua relati in gazophylacium.

VIII. Tunc bene successisse meditationem crede, cum novam aliquam veritatem animæ salutarem perceperis, & firma atque efficacia conceperis proposita certam aliquam exercendi virtutem, aut extirpandi vitium vel imperfectionem, licet suaviter nullam aut sensibilem devotionem ac gustum sentias, immò etiam si suggestionem aliquam aut tentationem virtuti illi contrariam sed

involuntariam & quam continuò represseris, expertus fueris.

IX. Consuesce in meditatione, quemadmodum & in aliis devotionis exercitiis nunquam Deum etiam vel levissimè offendere, quod fiet si sex sequentes negligentias sedulo cavere studeas. 1. nunquam sine præmissa debitâ præparatione & non prælectis priùs punctis, etiam si jam ante satis perspecta videantur, ad meditationem accede. 2. nullas sciens volens admitte distractiones. 3. nec oculos conice in rem non necessariam. 4. nec tardus ac remissus sis in repellendis ijs, quæ se contra voluntatem ingerunt, mentis evagationibus. 5. nunquam tempus meditationi præfixum decurta. 6. nunquam sis minus modestè ac reverenter compositus quo ad situm ac habitum corporis, ut si inurbane ac rusticiter aut mensæ aut oratorio brachiis incumbas &c. Eam minimùm decet esse corporis tui compositionem in qua te repente deprehendi à superiore tuo vel alio quovis alicujus authoritatis viro non erubesceres.

§. VIII. Documenta alia à P. Nicolao Lancicio data pro tempore ariditatis & desolationis.

SI non es, tibi conscius ullius negligentia paulò ante commemorata etiam si toto tempore nullam sentires consolationem, sed perpetuis impetereris distractionibus involuntariis, aut tentationibus, etiam si senti-

res cor aridum instar lapidis, noli ob hanc rem triftari, sed persiste in oratione, & luctare cum distractionibus, talis enim oratio valde utilis & meritoria est, quia confert ad humilitatem, cum sensibilibus devota sæpe præbeat occasionem superbiæ & vanæ gloriæ: quia in tali oratione exercetur heroica fortitudo, dum æquo animo sustinentur infestationes dæmonis vel naturæ & non obstante impetu distractionum & tentationum homo in oratione sua persistit, quia major amor erga Deum ostenditur ob perseverantiam in colloquio cum Deo, etsi affligatur à dæmone per distractiones & tentationes. An non majorem meretur laudem Miles pro rege suo excubans sub dio & solis æstum, imbres ac nives pro eo sustinens, præ illo, qui in palatio illi assistens similia non patitur?

II. Quod si, repellendo solâ mente distractiones sine nutu & motitatione capitis illæ non recedunt & ariditas durat, & nulla pia cogitatio occurrit circa puncta meditationi præparata, hoc modo procede: 1. humilia te coram Deo, & agnosce, quòd indignus sis, qui devotè ores, & quòd ob peccata tua dignus sis, ut ea in te puniantur hac ariditate & inquietudine. 2. age Deo gratias, quòd hac ratione te humiliet & puniat peccata tua, ut minus habeat, quod in altera vita pœnis afficiat, 3. roga Deum, ut à te ariditatem

tem

tem illam auferat. si ad suam majorem gloriam conferat, ei que magis sit placitum si minus, offer te Deo ad supportandam talem ariditatem per totam vitam, dummodo tibi det gratiam efficacem illam sine peccato ullo, sed potius cum Dei gustu sustinendi.

III. Contra occurrentes distractiones interiorius in animo concipe displicentiam & aversionem, nec opus est aut caput movere aut ullum corporis membrum, satis enim est sola mente nolle præbere consensum.

IV. Quando vel morbus vel magna defatigatio corporis aut capitis non permittit te meditari, & discurrere circa puncta præparata, ut dum es in itinere aut ambulas & simul ad alia te oportet attendere &c. Sic age: primo quadrante adora divinam majestatem & in cælo & in omnibus mundi partibus præsentem, secundo te humilia coram Deo, agnoscendo te vilissimum & indignissimum omni bono ob peccata tua, & simul de ijs dole, eaque detestare, & cavere propone ob Deum summè & super omnia amatum, dicendo sæpe: Deus propitius esto mihi peccatori. Tertio quadrante age Deo gratias pro omnibus beneficiis tum communibus, tum particularibus Christi Domini humanitati, beatissimæ Virgini & omnibus aliis sanctis ac tibi denique concessis & adhuc concedendis in æternum. Quarto denique offer de vine majestati spiritualiter corpus & sanguinem

nem Domini nostri Jesu Christi & merita
ejus in laudem & gloriam Dei, in gratiarum
actionem pro beneficiis perceptis & perci-
piendis: in impetrationem rerum tibi & alijs
necessariarum vivis & mortuis, & in satisfa-
ctionem pro peccatis tuis. Et his actibus ad-
de oblationem verborum tuorum & bono-
rum propositorum alias à te factorum, id-
què in unione meritorum Christi, Sanctissi-
mæ Matris ejus & cælitum omnium; ac de-
niq; commenda Deo præsentem necessitates,
tùm Ecclesiæ, tum regni aut provinciæ civi-
tatis, domicilij in quo habitas, tum ami-
corum & eorum omnium qui se commen-
dantur orationibus tuis, vel pro quibus ora-
re teneris.



MEDITATIONES SEPTEM
DE CHRISTO PATIENTE
Pro septem hebdomadæ diebus.

MEDITATIO PRIMÆ
De gestis in ultima Cœna.

Penitum 1. Christus cum discipulis suis
manducat agnū paschalem & accuratissi-
me obiervat omnia, quæcunque in lege Mo-
saica de agni paschalis esu præcipiuntur, vi-
delicet, ut edatur assus igne, cum lactucis
Sylvestribus, præcinctis lumbis, calceatis
pedi-

pedibus, cum baculo in manibus. Quanta est exterior Domini tui modestia & reverentia? quam devotis cogitationibus atque affectibus inardescit cor ejus, dum edendo paschalem hunc agnellum seipsum æterno Patri suo offert, in holocaustum pro peccatis tuis? disce perfectè observare mandata legis novæ & Ecclesiæ, quæ & utiliora ac perfectiora sunt ceremoniis Mosaicis. Dilce, quæ exteriore reverentiâ & interiore devotione te oporteat perficere quodcunque opus pietatis.

Punctum. II Christus surgit à cœna, & depositis vestimentis præcingit se linteo: mittit aquam in pelvim: lavat pedes discipulorum suorum, & exosculans eosdem linteo abstergit. Sedulo expende, quis sit, qui lavat pedes? scilicet suprema divina atque infinita Majestas. quibus? vilibus piscatoribus, & inter eos infestissimo inimico & Proditori suo Judæ. quomodo? humanissimè, studiosissimè, ferventissimè, amore & desiderio majoris ac majoris humiliationis. qua de causa? ut te doceret profundissimam humilitatem, vide, quomodo huc usque hanc Domini tui abjectionem imitatus fueris. & firmiter statue, superbiam tuam strenuè deinceps edomare, & in officiis abjectis atque humilibus te sedulo exercere, heroicumque concipe desiderium te semper & ubique quam potes profundissimè coram

omnibus demittendi abijciendique.

Punctum III. Christus instituit sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum. O quam excellens & eximius actus Charitatis Servatoris tui Jesu, qui, dum mundus eum ad necem quærit, ipse vicissim mundo tribuit non Angelum, sed semetipsum, nec ut antè in Magistrum & fratrem, sed in cibum hominum. In communione itaque accipis totum Christum: Divinitatem cum omnibus suis attributis: animam Christi, in qua est plenitudo omnis gratiæ & infinita merita: Sacratissimum corpus ejus, thaumatargas illas manus tot miraculorum effectrices, divinum os illud, quo edocuit Evangelium salutis. Adora illum, & mirare excessivam illam liberalitatem Christi tui, gratum te redhibe verbo & opere, ac vide, ut deinceps & corpore & animo, animæ & membris Jesu tui te conformes.

Punctum IV. Perpende effectus communionis: videlicet, mutat hominem in Christum: extirpat vitia: minuit tentationes, auget virtutes. Post unicam susceptam sacram synaxim oporteret te in virum Sanctum evadere, & ecce toties eam frequentasti & in iisdem adhuc hæres imperfectionibus, quid causæ? fortassis in statu peccati lethalis accedis? fortassis minùs sincerè te accusas de noxis venialibus, nec eas debite per sacram exomologesin expias? fortassis requisita de-

est

est preparatio, reverentia & devotio? quicquid sit, emendandum est.

MEDITATIO SECUNDA.

De actis in horto & monte Oliveti.

Punctum 1. Expende, quâ ratione Dominus tuus oret in horto: 1. quantumvis defessus tum ex lotione pedum, tum longo illo sermone, quo extremum allocutus est discipulos suos: quantumvis tristis & debilis, orat nihilominus. quàm tu levi de causa intermittis consuetas tuas devotiones & pia exercitia? ubi tu tempore afflictionis consolationem quæris? apud Deumne, an verò apud homines? 2. Christus orat solus & separatus à discipulis. quàm tu diligentiam adhibes, ut oratio tua sit attentata? 3. Christus orat cum summa reverentia, provolutus in genua, imò & facie in terram prostratus: Si hoc filius Dei, quid te par est facere, o peccator & vilis terræ vermiculus? 4. Christus orat confidenter, propterea dicit: Pater mi. quam tu adhuc infirmus es in fide? 5. Christus orat perseveranter in tertiam usque horam, & ferventer ita, ut inter orandum sanguineo etiam sudore perfundatur, quam tu in orando inconstans & frigidus es? 6. Christus in oratione resignatus est, ut illa ejus verba testantur *Matt. 26. 39.* Pater si possibile est, transeat à me calix iste, veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat. Si Christus ad Calicem tam amarum sponte

se offert, & paratus est obedire Patri suo usque ad mortem crucis amore tui, vide ad quid te vicissim ex amore ipsius offerre conveniat, & omnem tuam pervicaciam & inobedientiam emendare stude.

Punctum II. Dominus tuus extremum tristatur, Evangelistæ tristitiam ejus appellant pavorem, tædium & agonem, ipse Christus *tristis est*, inquit, *anima mea usq; ad mortem*. At cur hoc? cur Jesus gaudium illud Angelorum ita vehementer angitur & contristatur? duabus potissimum de causis: altera est, quod ad vivum sibi ob animum atque imaginationem proposuerit omnia & singula tormenta & opprobria, quæ vel in tenerrimo suo corpore, vel in excellentissima sua persona toleraturus erat, unde inter partem ejus superiorem & inferiorem acris nascebatur certamen, ita ut sanguis etiam instar sudoris vi angustiae per poros protruderetur, vicit nihilominus pars superior & de inferiore triumphavit. Disce & tu vincere teipsum, pugnare & resistere etiam usque ad sanguinem. Altera tristitiae causa erat, quod cognoverit & quasi praesentia intuitus sit omnia & singula totius mundi peccata eorumque multitudinem ac gravitatem intimè perspexerit, etiam tuorum. Quod quidem gravissimum onus totum illi incubuit, & notitia ejusdem sollicitum illum tenuit usque ad mortem, & ruborem incussit usq; ad

ad

ad sanguineum sudorem. Disce hinc peccati gravitatem, & cum ita de sceleribus alienis coneratur Christus, tua propria deflere & detestari.

Punctum III. Judas osculo tradidit Dominum suum. ubi expende immensam Christi erga hunc Judam humanitatem & mansuetudinem, amici nomine compellat proditorem suum: amice ad quid venisti: nec osculum recipere ab illo refugit, & cor ejus induratum amoris & gratiæ, igne emollire conatur. Disce hinc, qua te ratione alloqui oporteat inimicos & persecutores tuos, & eos velut optimos amicos amore & favore prolequi, præsertim, cum multiplicem tibi occasionem præbeant augendorum apud Deum meritorum tuorum. Expende vicissim obstinationem & pervicaciam Judæ, qui tot Domini sui tam officiosis & blandis obsequiis & amoris argumentis, quæ cum in horto, tum antè in cœna illi exhibuit, emolliri non potuit, quin potius cum maledictis & sceleratis Judæis omnem in capiendo piissimo Jesu petulantiam & nequitiam exercuit, & idcirco miserrimè denique periit, in quæ mala ipsum inordinatus amor pecuniæ præcipitem dedit, in qualia & tu aliquando rues, nisi inordinatis tuis affectibus & passionibus maturè habenas iniicias, & strenuè easdem edomes.

Punctum IV. Considera modum & crudeli-

delitatem captivitatis Christi; Etenim postquam prostrati in terram resurrexerunt milites, & a Domino facta illis capiendi sui copia, non aliter atque rapaces & furentes lupi in innocentissimum agnum involarunt, insontissimum Dominum velut latronem exceperunt: pugnis onerarunt: fustibus & iudibus pulsarunt: thaumaturgas ejus manus tam arctè funibus constrinxerunt, ut & sanguis inter unguis protrusus sit: Sacratissimum corpus ejus terræ afflixerunt, pedibus conculcarunt, per torrentem Cedron canis instar raptarunt. O spectaculum miserabile! Compatere Domino tuo, qui amore tui tam arctè constrictus miserè adeò & crudeliter tractatur: Constringe tu eum vinculis & nexibus amoris, & amore ipsius omnium subigi & conculcari pedibus desideras, & erubescere atque confundere de superbia tua, quâ exiguas etiam humiliaiones & despectus fortè occurrentes cum tanta impatientia, querelis & murmurationibus suscipis.

MEDITATIO TERTIA.

De gestis in domo Anna & Caipha.

Punctum 1. Cælestis Magister Christus interrogatus ab Anna de doctrina sua respondet, se palam semper locutum fuisse, & in occulto docuisse nihil, eos proinde interroget, qui audierunt. pro quo responso a lapam sevissimam refert, cujus tu circumstantias sedulo expende. **Quis percutitur?**

Sum-

Summa atq; divina Majestas. à quo? à man-
cipio Diaboli. in qua parte corporis? in fa-
cie, cujus aspectu in coelis & homines & An-
geli recreantur. quo modo? pugno ità ve-
hementi, ut & dentes inde vacillarint, & sa-
cratissimus cruor copiosè per divinum os
atque nares profluxerit. apud quos? in præ-
sentia & conspectu plurimum gravissimo-
rum virorum. ob quam causam? citra om-
nem noxam & culpam, tui duntaxat causa,
ut ipse in se expiet, quod tu toties abutendo
facie tua promeritus es? quo animo hanc
tam diram alapā Dominus sustinuit? æquis-
simo, lætissimo sine ulla non vindicta mo-
do, sed & vindictæ specie, cum alias tamen
etiam multò minores injurias servis
suis irrogatas gravissimè sit ultus. Quam tu
ex hoc antecedente conclusionem deduces?
nimirum conclude, quod imposterum san-
ctius usus sis facie tua, ne novos Domi-
no tuo Colaphos impingas: Conclude, quod
nullas, quantumvis graves videantur, illatas
tibi fortè injurias velis ulcisci, sed omnes æ-
quissimo, lætissimòque ferre animo.

Punctum II. Principes Sacerdotum & to-
tum Concilium conveniunt in domo Cai-
phæ, & falsa testimonia undique conqui-
runt contra Dominum, & post extrema om-
nia tentata fateri nihilominus coguntur,
consilia & machinationes suas irritas esse, &
culpâ omni vacare Jesum: an non hæc su-
pre-

prema est Domini tui innocentia & irreprehensibilitas, utpote in quo nec invidissimi, perspicacissimi, sceleratissimi simulque inter suos gravissimi homines nihil reprehensione dignum invenire potuerunt. An & tua vita ita irreprehensibilis est? heu quoties alijs ratione tuâ vivendi offendiculo & scandalo fuisti! quàm multa etiam optimi amici tui, qui familiarius te utuntur, de te norunt, quæ laudem nullam merentur? nihil dicam de inimicis. hæc emenda, & in omnibus verbis & actionibus tuis proximo tuo præluere bono exemplo, stude juxta illud Christi monitum Matt. 5. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.*

Punctum III. Cum summi Sacerdotes nihil falsis suis testimoniis efficerent, Caiphas subdolè & fraudulenter sapientissimum Dominum aggreditur, & adjuro, inquit, te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. Matt. 26. 63. Et quamvis Christum minimè lateret, interrogationem hanc plenam dolo esse, & responsum suum pessimè acceptum iri, & mortis etiam ansam præbiturum, nihilominus seposito metu & respectu omni humano in solam majorem Patris sui gloriam intentus liberrimè respondet: *Tu dixisti: Veruntamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cæli.* Matt. 26.

v.64. Utinam tandem tam præclarum Seruatoris tui exemplum te doceret respectum omnem humanum exuere ! Cur toties apud te Deus cedere debet vili homuncioni, qui pulvis & cinis es? cur tantum apud te valet timor amorque hominum, ut in eorum gratiam tot tantosque gratiæ & gloriæ thesauros perdere non cures, & propriam inquinare animam, inquietare conscientiam, & tantarum vel ignis piacularis, vel ipsius etiam gehennæ poenarum te ipsum reddere obnoxium? Serio propone nunquam deinceps, quicquam vel mali facere vel boni omittere ex timore amoreve hominum.

Punctum IV. Caiphas audito Christi æquissimo responso scindit vestimenta sua, & blasphema ait, inquit, quid adhuc egemus testibus? ecco nunc audistis blasphemiam; quid vobis videtur? at illi respondentes dixerunt: Reus est mortis. tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem dederunt dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Matt. 26. v. 65. &c. Adverte bene: Naturalis Dei filius, qui peccare non poterat, pro blasphemo habetur. Hæc sunt iudicia mundi, ob quæ tantopere turbaris. An non satius foret, ut recte vivendo neminem timeres, dicereque posses cum Paulo I. Cor. 4. v. 3. *Mihi autem pro minimo est ut à Vobis iudicer, aut ab humano die, qui autem iudicat me Dominus est.*

MEDI-

MEDITATIO QUARTA.

De accusatione Christi apud Pilatum
& Herodem.

Punctum I. Salvator tuus coram Pilato Præsidente à Principibus Sacerdotum tanquam maleficus in iudicium vocatur, accusationis Capita sunt: esse eum seductorem & concitatores plebis: Perduellem & rebellem Cæsari, ut qui prohibuisset illi dare tributum: Seditiosum Regem, & qui se ambitiosè fecerit Messiam & regem Iudæorum. Quam eandem accusationem & apud Herodem instituunt, ad quem Principes Sacerdotum cum hoc suo captivo remiserat Pilatus. Christus autem & apud Pilatum & apud Herodem totus silet, nihil in sui purgationem in medium profert, licet omni ex parte innocentissimus. Cur hoc? nimirum ut hac ratione expiet multiplicia mendacia & excusationes, quibus toties obtegere conatus es defectus & culpas tuas, quando de iis à Superioribus tuis commonebaris. A quo itaque saltem animo feras, si quando à conscientia tuæ arbitro optimâ mente moneris aut reprehenderis: immo da operam ut quasvis etiam injurias & falsas accusationes, quas Deus evenire tibi permittit, patienter sustinere discas.

Punctum II. Multa Christum interrogat Herodes. Exempli gratia, num ipse sit, qui à mortuis resuscitavit Lazarum. num ipse
sana-

sanarit cœcum à nativitate, & his similia. desiderabat etiam fieri à Christo in sui gratiam miraculum aliquod; quod si faceret, promittit seipsum liberaturū & erepturum è manibus inimicorum suorum; Jesus autem qui videbat intentionem Herodis vanam esse, & ex mera curiositate ortam, Regi huic personæ licet tanta promittenti nec verbulo respondere voluit. 1. ut hac ratione satisfaceret pro tot tuis non ociosis solum, sed & noxiis verbis, quæ toties in aliorum gratiam effutivisti, & te doceret in verbis tuis parcum & tenacem esse. 2. ut consummaret opus redemptionis & plura amore tui pati posset, at tu è contrâ omnes patiendi occasiones declinare studes. 3. ut tu exemplo ipsius collata tibi à Deo gratiæ dona celare disceres, nec enim ipse gratiam suam miraculorum ostendere hoc loco volebat, licet vel maximè ut miraculum hîc aliquod patraret, necessarium videretur.

Punctum III. Herodes ignominiosè à se Christum repellit, jubetque albâ vestiri tunicâ & velut stultum ac stolidæ mentis hominem ex aula sua eijci; quod mandatum in gratiam Domini sui extemplo exequuntur aulici. Perpende tu, quanta hæc sit & quàm enormis ignominia, quòd divina illa atque infinita Sapiencia velut stulta reputetur & exhibeatur, idque à Rege, à tota ejus a ula, in publicis compitis & plateis, ab innu-
mera

mera concurrente multitudine hominum. Ecce ita à verbo æterno Patris, solvi oportet debitum, quod tu ambitione tua contraxisti, & quia toties te ob scientiam aliâque dona tua super alios vanè teipsum extulisti. Cœrce superbiam tuam, & sicut hucusque laudem & gloriam in ore hominum captasti; ita deinceps apud eosdem contemni & despici quare.

Punctum IV. Ab eo die Herodes & Pilatus in gratiam invicem redierunt, qui ante hæc inter se non leviter dissidebant ob temporalem jurisdictionem, quam alter alterius nonnunquam violabat: reconciliatus autem est Herodes, dum Pilatus tantisper juri suo cessit, & captivum Dominum tanquam Galilæum ad Herodem Galilææ tetracham remisit. Tam potens est humilitas in reconciliandis animis dissidentium. Ad hæc expende, quod per reconciliationem factam Pilatum inter & Herodem significetur, quæ ratione per Christi passionem Judæi & Gentes in unam Ecclesiam coituri sunt & totum genus humanum reconciliandum æterno Patri. Sed quandonam tu perfectus evades amicus Dei, & hujus amicitix impedimenta omnia removebis quod tantoperè desiderat Deus, & tibi tam proficuū ac necessariū est?

MEDITATIO QUARTA.

De ijs, quæ Domino acciderunt in domo Pilati.

Punctum I. Prætes Romanus quotannis circa

circa tempus paschale tenebatur unum ē
vinctis, quem vellent Judæi, dimittere, cui
consuetudini se accommodans Pilatus binos
Judæis proponit, alterum Barabbam, latro-
nem, prædonem, seditiosum & vinctum in-
signem, alterum Jesum, & eosdem interro-
gat, utrum ex his cupiant dimitti. O qua-
nam hæc comparatio? quam enormis igno-
minia & inexplicabilis Jesu tui despectio?
quæ vehementer aucta est, cum populus e-
jus electus legitimo Regi suo sceleratissi-
mum latronem præposuit, exclamavitque:
Tolle hunc & dimitte nobis Barabbam. Luc. 23.
v. 18. Quid tibi videretur? adhucne jure con-
quereris, si alij tibi præferantur? An non ar-
rogantia tua in causa est, ob quam Dominus
tuus tam vilipenditur? Considera quoque,
quod & tu sæpenumero Judæos imiteris, &
Barabbam Christo præponas, si quando plus
apud te momenti habet judicium tuum pro-
prium, quam præpositorum tuorum: plus
valet commoditas & sensualitas, quàm salus
& beatitudo: plus efficit caro quàm spiri-
tus, honor proprius, quàm gloria Dei.

Punctum II. Pilatus ut quovis modo fu-
rentem compescat plebem, jubet Christum
flagellari. totus itaque denudatur castissi-
mus ac verecundissimus Sponsus: alligatur
columnæ, & crudelissimè acerrimèque ca-
tigatur: à tota nimirum cohorte militum,
qui & natura robusti & efferati, & pecunia
insu-

insuper à Judæis corrupti erant, ut ad mortem usque Dominum caderent, ut si forte eum Pilatus absolveret, mori nihilominus cogeretur. Nec ipsi crudelitati defuerunt, sed alternatim pro libitu suo tenerrimum Dominum non aliter atque incudem pulsarunt. O quantos dolores tenerrimo illi & sensatissimo corpori ex virgineo sanguine formato intulerunt sævissimi illi atque fortissimi ictus! nec minimus etiam in sacratissimo illo corpore vacuum à vulnere & plagis locus reperiebatur, à planta pedis usque ad verticem capitis non erat in eo sanitas, sed ubique vulnus & livor & plaga tumens. frustratim etiam conscissa caro hinc inde dependebat, non alia erat Jesu tui facies, quam si sanguineo balneo lotus fuisset. In tanta tamen tyrannide & plus quam ferinâ crudelitate ac sævitia ne minima quidem adversus flagellatores querela audiebatur, quin potius identidem facie in coelum sublatâ, *quoniam, inquit, in flagella paratus sum.* Psal. 37. v. 18. Accede quæso & interroga dilectum tuum, quamobrem ita severè flagelletur, & respondebit, ob peccata & scelera tua. Tu es, qui colligasti virgas, & in manus militum tradidisti. Age itaque poenitentiam & sceleratos corrige mores, commissâque culpas operibus satisfactorijs expiare, seriò propone. Offer etiam corpus tuum ad quosvis morbos & dolores.

Pm

Punctum III. Hanc inhumanam & sævissimam flagellationem non mitior excipit coronatio; etenim petulantissimi milites nullius jussu sponte suâ, dirissimam ex acutissimis spinis plectunt coronam, & capitâ exhausti Jesu imponunt, & in cerebrum usque, ejusdem spinas fustibus adigunt, ut undique aculei promineant: in manum arundinem velut sceptrum dant in signum affectati Regni: illudunt: in faciem conspuunt: pugnis & palmis cædunt: pilos è sanctissimo Capite & barba vellunt, & ignominiosissime salutant: *Ave Rex Judeorum.* Mature hic expende, quis sit, qui tanto ludibrio habetur? nimirum Rex gloriæ: Supremus monarcha, verbo, Deus. à quibus? à creaturis suis, quas pulicis instar momento conterere & in nihilum redigere posset. Quocirca statue deinceps vitam tuam in omni dolore & despectu absolvere. Considera quoque, qua de causa tantos in sacratissimo capite suo cruciatus sustineat servator tuus, videlicet, ut te doceat obstinatum ac pervicax caput tuum quod maximam partem in actionibus tuis pro regula habes, edomare & frangere, sedulo hanc lectionem edisce, quia valde tibi necessaria est.

Punctum IV. Hac ratione exceptum Dominum Jesum populo proponit Pilatus & ait: Ecce homo. videte quæso, an adhuc hominis formam gerat? certè miserabilis hæc
Christi

Christi facies etiam saxa & marmora emollire valuisset, nec tamen emolliti sunt Judæi sed magis exacerbati clamare cœperunt: *crucifige, crucifige eum.* Joan. 19. v. 6. insuper & minari Pilato, quod si dimitteret eum, accusaturi ipsum essent apud Cæsarem: timore itaque ingratiæ Cæsaris percussus Pilatus tandem Crucis sententiam pronunciat in innocentissimum Jesum. Hic omnia miscetur, undè & tu diversos elice affectus: Compatere afflictissimo Jesu tuo: refrena pravos affectus, qui ut in Judæis patet, excæcant & indurant mentem: detestare respectus humanos: ac denique Pilato te offer, ut te loco Christi ad crucem condemnet, utpotè nocentem pro innocente.

MEDITATIO SEXTA.

De bajulatione crucis, crucifixione & morte Christi.

P*ractum I.* Quanquam latronum cruces à Lictoribus deferuntur, ad locum supplicij, debilissimus tamen & totus exhaustus Christus cogitur crucem suam ipse eodem deferre. Vide, quâ ratione è Prætorio Pilati procedat, totus capite & vultu cruentatus, lassus & vacillantibus pedibus hinc illinc offendens, septies sub crucis onere fatiscens, ac sanguinolentis pedibus vestigia plateis imprimens. Surge anima mea, & quemadmodum S. Veronica sudarium Domino porrigit, ita & tu Cor tuum porrige, ut passionis
suar

suæ effigiem in eodem efformet. Crucem quoque tuam, sive externa illa sit sive interna, patienter & fortiter portando Dominum tuum sequere, tibi que illud dictum cogita: *Qui vult post me venire abneget semetipsum & tollat crucem suam quotidie & sequatur me.* Luc, 9. v. 23.

Punctum II. Cum primùm Virgineus Sponsus pervenit ad montem Calvaria, continuo milites sacram ei togam inconsutilem desuper contextam per totum immanitate incredibile detrahunt atque ita & spineam coronam commovendo novum ei atque immentum afferunt cruciatum, quin etiam vulnera omnia violenta togæ detractioe renovant. Adhæc perpende, quantum verecundissimo Domino dolorem incusserit tam propudiosa coram tot millibus hominum denudatio. Ita nudus in crucem deijcitur, manus pedesque (in quibus acutissimus esse solet sensus ob venarum, nervorumque concursum) terebrantur, obtusisque clavis perfodiuntur, ac cruci denique configuntur. Quam impetuosè in sublimè extollunt crucem? quam immaniter in præparatam labi permittunt serobem? quam immiseri-corditer totum corpus concutiunt, conqual-santque? Tu mea anima, seriò scrutare, quamobrem manus pedesque Domini tui tam crudeliter arteque confixi sint cruci, videlicet, quia toties tu manibus pedibusque tuis

in eisdem contemptum ac despectum abusus es, vide, in quo, & emenda, & te quoque per timorem amorisque Dei, Domino tuo confige.

Punctum 3. Considera extremam delusionem & ignominiam quâ Dominus tuus e cruce pendulus perstringitur. Locus crucifixionis est mons Calvaria in publico positus, in quo, supplicio affici consuevere fures & latrones. Dies est paschalis, quo Judaei ex universa Patria confluere soliti sunt, ut hac ratione mors ejus ignominiosissima pluribus fiat manifesta. Tempus est meridianum, quo clarius miseria ejus & afflictio perspicui ab universis posset. Civitas, juxta quam morte defungitur, Solyma est, in quam non multis ab hinc diebus solennitate atque triumpho maximo fuerat introductus. Poenae socij bini sunt latrones, inter quos medius tanquam eorum Dux ac signifer pendet. Ecce tot opprobrijs afficitur Jesus tuus, ut te gloriae suae coelestis participem haeredemque efficiat. I nunc, & omnes injurias unquam tibi illatas confer, & vide, quam nullâ ratione cum injurijs Jesu tui amore tui crucifixi comparari possint, & tamen aut obmurmuras aut contristaris, & viam omnem ac modum extenuandi crucem tuam inquiris, cum Jesus tuus tuam amplificandi modum exquirat. Erubescere impatiens caput. Nulla tibi querendi causa
suppe-

suppetit, qui nondum in crucem actus es, quemadmodum Jesus tuus. Immo si jam in crucem actus esses, eandem jure meritissimo ob peccata & scelera tua sustineres.

Punctum 4. Postquam septem à Domino tuo prolata in Cruce verba sincerè perpendifti, considera, quemadmodum inclinato capite emittat spiritum. moritur in extremâ pauperie: lectus agonizantis crux est: Corona spinea pulvillus: decurrens undique cruor. Iodices: nec aliud quicquam linteaminum præsto est, quo nuditas ejus veletur, & tu adhuc temporalibus inordinatè adhærescas? moritur inter Principum Sacerdotum fannas & opprobria: alios juvit, seipsum juvare non potest: *Si filius Dei es, descende nunc de cruce.* Matt. 27. v. 42. non sic mi Jesu, non descende, sed in cruce persevera, ut nos exemplo tuo condocer facias perseverare usque in finem. Moritur in acerbissimis cruciatibus corporis, & extrema desolatione animæ. O, quantum igitur esse precium animæ hominis oportet, pro qua Dei filius vitam suam infinitè pretiosam impendere non recusavit. Vide ut & tu amore Jesu tui mori paratus sis; amor enim amore compensandus est mors, morte. Vide, nè animæ tuæ jacturam facias, quam tanto pretio Servator tuus redemit, quin potius omnibus viribus collabora, ut & proximi tui animam lucreris.

MEDITATIO SEPTIMA.

De ijs, quæ post Christi mortem contigerunt, & de ejusdem sepultura.

Punctum I. Postquam creator crudeli fato extinctus est, omnes creaturæ morti ejusdem indoluerunt: Sol pleno die obscuratus est, quia lux mundi occubuerat; petræ dissiluerunt, atque ad eò & saxa, Christum filium Dei confessa sunt, dum homines de eo silebant: velum templi in duas partes scissum est, quia finem accepit lex antiqua, & aditus patefactus est ad sancta sanctorum. Terra mota est, & ob tam crudele Judæorum facinus cohorrui: Sepulchra aperta sunt, & ipsi mortui cadaver Domini sui quodammodo amplecti velle visi sunt. anima mea luge cum lugentibus, probè enim nosti, quid alias profatus sit Dominus tuus. *Matt. 5. v. 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* An non justam fatis lugendi causam habes, cum fato abs te discedat Dominus tuus, sponsus tuus, Magister tuus, optimus amicus tuus? An non ploratu dignum est, quòd tot tuis sceleribus mortem consciveris Deo tuo? quòd hodie dum idem ipse Deus tam varijs atque enormibus flagitijs passim ad iracundiam provocetur? quòd tot millia animarum ad extremam perficiem & interitum ruant? Hæc & similia perpende & facile à risu, jocis & nugis tibi temperabis.

Par

Punctum II. Jam mox fructus passionis Christi patescit, dum peccatores ad frugem & Deum redeunt percutientes pectora sua: justi animantur & confortantur. Joseph ab Arimathia nobilis Decurio, clandestinus hucusque Christi cultor & discipulus, licet & oculis & auribus usurparit summorum Sacerdotum totiusque plebis furorem & vesaniam contra Christum, adeoque merito sibi timere posset, quisquis pro Christo staret, jam tamen metu omni deposito audacter accessit ad Pilatum & petijt corpus Jesu: preciolam quoque sindonem coëmit, quo corpus illud involveret. Similia præstitit Nicodemus & ipse nobilis ac Princeps Scribarum ac Legisperitorum, qui ad centum libras aromatum atque unguentorum preciosorum mercatus eas attulit in montem Calvariaë ut Domini corpus iisdem ad sepulturam condiretur. Tu gratias age cœlesti Patri, qui tam providè sollicitus est de honore filij sui atque ità continuo post ejusdem obitum incipit eundem exaltare & honorare: Exue quoque & tu respectum omnem humanum, & imperterritus aggredere, quicquid à te Dei tui major honor & gloria requirit, dicque cum Paulo: *In quo quis audet, audeo & ego. 2. Cor. II. 21.*

Punctum III. Josephus & Nicodemus ope famulorum suorum ac B. Joannis quam reverentissimè tollunt de cruce corpus Do-

mini, atque illud in sinu afflictissimæ matris reponunt. O quanta hanc ex una parte tristitia invasit, dum sacrosanctum atque innocentissimum corpus filij sui vidit tam miserè atque crudeliter excarnificatum, quod illa tam blandè ac dulciter enutrierat, ex alia verò parte collaudavit atque extulit amorem ejus, quo illectus tanta pati, tamque acerbo defungi fato pro salute mundi voluit. Accede mi Christiane, & primum à Beatissima Virgine veniam pete quod dilectissimi filij ejus mortem procuraris, tum maximâ quâ potes gratissimi animi significatione omnia Salvatoris tui membra exosculare, & membrorum tuorum delicta deplora, & emendationem sponde. Verbi gratia inchoando à pedibus dic: mi Jesu gratias tibi ago & exosculor sacratissimos pedes tuos pro me clavis perforatos: heu doleo, & ingemiſco, quòd toties pedibus meis abusus sim in decurrenda via vanitatis, non committam ultrà in æternum, &c.

Punctum IV. Considera, quâ ratione viri isti sancti clavos, coronam & cætera similia tanquam pretiosissimas reliquias & instrumenta redemptionis humanæ piè venerati sint & asservarint. quo pacto abluerint cadaver, & munda sindone involuerint, atque summa devotione ac veneratione in sepulchrum intulerint. Ubi etiam sepulchri adjuncta perpende, & similibus exorna cor
 tuum,

tuum, in quod toties non mortuus, sed vivus Jesus tuus reconditur: videlicet, quod alienum fuerit: quod novum, in quo nondum quisquam positus fuerat: quod è petrà excisum: quod linteis, myrrha ac preciosis alijs unguentis instructum: quod clausum lapide atque signatum: tale & cor tuum esse convenit, ut amet paupertatem, exuat veterem hominem, nullam admittat creaturam, aut amore inordinato prosequatur: ut sit cõstans instar petrà, mundum instar syndonis, amet myrrham pœnitentiæ, spiret odorem bonæ atque exemplaris vitæ, cautum atque sollicitum in custodiendis sensibus exterioribus.



PARS SECUNDA.

Declina à malo.

DE SUMMA CORDIS PURITATE & vacuitate à vitijs.

Cum vera Sanctitas, ex mente D. Dionysij Arcopagitæ, sit ab omni scelere libera, & omninò perfecta & omni ex parte immaculata puritas, primùm tibi ob oculos ponam, quàm purus à vitijs & nitens esse debeat perfecti Christiani animus, tum queis virtutibus idem esse debeat ornatus, exequar. Cæterum valdè delicata & subtilis est cordis mundities, quam Evangelicus Magister no-

ster Jesus Christus ab unoquoque fidelium
exigit. Siquidem præcipit ut ex corde ex-
pellantur omnes pravæ cogitationes, & no-
civa omnia atque impura desideria haud a-
liter, ac spirituale quoddam cordis adulteri-
um fugiantur: ab ore verò abesse vult omne
verbum otiosum, de quo severam intermi-
natur reddendam in die Judicij rationem: In
operibus denique exterioribus, nihil omni-
no patitur, quod perversum, scandalosum,
aut minus ædificativum est, cum expressum
ipsius præceptum sit, ut sintar lucis opera
nostra ubique effulgeant atque ut verbo ab-
solvam. Ecclesiam suam attestante id Apo-
stolo. & unamquamque fidelem animam ita
mundam puramque requirit, ut quæ in
interiore, qua exteriori ejus conversatione,
nec macula ullius peccati, nec imperfectio-
nis ruga deprehendi possit. Ad hanc itaque
tantopere tibi commendatam conscientia
puritatem, ut scias, quâ viâ possis pertinge-
re, sequentia documenta sedulo diligenter-
que observato.

INSTRUCTIO I.

*Homo puritatis perfecta studiosus, potius millies
moriatur, quam semel mortaliter peccet.*

Hoc esto se ium & efficax, & in omne
tempus perpetuum, contra omnes quos-
cunque ingruentes casus inconcussum pro
omni occasione inviolabile, & constans ani-
mi tui decretum, millies potius mori, quam
lethali

lethali te scelere unquam obstringere. Quocirca, ut ut res cadat, paratum te esse oportet omnium potius bonorum temporalium; honorum, commoditatum, favorum humanorum, atque ipsius etiam vitæ tuæ, quam gratiæ divinæ per delictum mortale jacturam facere; Hoc te Christus docuit, quando dixit: Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Matt. 16. v. 26. Hoc decretum fundamentum est & primum principium cui Christiana sanctitas, & conscientiæ perfecta puritas inniti debet.

INSTRUCTIO II.

Ad perfectam cordis puritatem spectat fuga omnium venialium peccatorum.

§. I. *Proponuntur rationes, cur peccata venialia etiam minima summo studio vitari debeant*

INvenies è Christianis non paucos, qui veniales noxas susque deque habent, earumque vitationem ferè negligunt, quòd eam sibi impossibilem esse judicent. Fateor Ego quidem, sine speciali Dei privilegio (quale post Christum & Deiparam Divis Josepho & Joanni Baptistæ ex multorum sensu concessum traditur) neminem omnino totius vitæ suæ tempore, ab omni levi peccato liberum extitisse. Fateor etiam venialia peccata omnia collectivè sumpta, ut cum Theologis loquar, à nobis caveri non posse, simul ta-

men afferro & rectè verèque afferro posse ca-
 veri omnia divisim sumpta, id est, & hoc &
 illud, si hujus vel illius occasio se offerat.
 Imò quod amplius est ajo fuisse Sanctos
 complures, summo fervore in perfectionem
 incumbentes, & sibi ipsis sollicitè semper in-
 vigilantes, qui per longum tempus sine le-
 vibus noxis deliberatè commissis vitam tra-
 duxerint. Id de S. Francisco Xaverio scri-
 bunt S. Rotæ Romanæ auditores in relatio-
 ne summo Pontifici datâ pro ejus canoniza-
 tione persuadenda, Xaverium videlicet per
 totam hyemem confiteri solitum cuidam
 Vicario S. Thomæ, qui jurejurando fassus
 est, in hujusmodi ejus confessionibus nul-
 lum se invenisse veniale peccatum, quo De-
 us offendi potuisset. Taceo plures alios, si-
 mili mentis puritate exornatos. Te solum
 moneo Christiane Lector, ut hæc meliora
 charismata æmuleris, omnique ope enita-
 ris, nè in illorum numero sis, qui peccata
 parva parvi faciunt, & ea prorsus admittunt
 liberè, quia malitiam & damna talium pec-
 catorum perspecta non habent. Quorum
 cæcitati & incuriæ ut medear, sequentes ra-
 tiones considerandas propono.

Ratio prima. Tanta est vel unius peccati
 venialis malitia, ut si unico verbo otioso,
 lucrari posses totum mundum, & redimere
 omnes ex inferno damnatos, non tamen de-
 beres illud verbum otiosum dicere, cum ex
 mente

mente Apostoli nunquam sint facienda mala, ut inde eveniant bona, nec debeat Deus, infinita illa Majestas & bonitas, ullius etiam maximi boni intuitu vel levissimè offendi. Quod si verum, uti est verissimum & fide certum, quanta obsecro est amentia tua & stupor dum propter exiguas vanitates & sensualitates, in plura venialia peccata te quotidie præcipitem agis?

Ratio Secunda. Venialia peccata sæpè impediunt actus virtutum, enervant meritum bonorum operum vitiando finem & circumstantias eorum, ac proinde augmentum gratiæ & gloriæ, cujus gradus minimus melior est orbe universo. Quis in domo sua servum tolerare velit, qui singulis diebus impediret lucrum centum ducatorum? certe nemo. & tamen in anima toleramus tot minutas culpas, quæ obstant, ne tot nobilissimas gratias, centum ducatis longè excellentiores lucremur.

Ratio Tertia. Peccata venialia minuunt fervorem charitatis, sicut aqua affusa extinguit ignem: replet animam scabie, ut eam amplecti dedignetur Cœlestis sponsus: sunt onera, quæ currentem in via perfectionis remorantur: turbant serenitatem & tranquillitatem conscientiæ: frangunt & debilitant sacratiores illos spiritus, qui requiruntur ad opera heroica peragenda: exaugent filialem illum recursum in oratione ad Deum: pa-
riunt

riunt habitus remissè & sensualiter vivendi, ut potius recreationes corporis quàm animæ sectari libeat: denique reddunt insipida ferè omnia pietatis exercitia. Queruntur multi esse se in oratione aridos, in divinis laudibus desolatos, in sumptione Eucharistiæ dueros, in rebus sacris insensibiles, sed noverint causam horum esse, incuriam quotidianorum defectuum non vitatorum. Hanc ipsi tollant & seriò submovere conentur, & mox videbunt & gustabunt, quàm suavis sit Dominus.

Ratio Quarta. Peccatum veniale etiam unicum à viris Sanctis commissum, Deus gravissimis in hac vita poenis est persecutus. Ita, cum David Rex sanctus ex quadam levi elatione animi jussisset numerari homines sibi subditos, quot essent apti ad bellum, eam solum ob causam, extinxit Deus pestilentia septuaginta millia virorum. 2. Reg. ult. Ita Moyses fidelissimus Dei servus & amicus intimus, cum veniali aliqua dubitatiuncula percussit petram, ut inde aquam eliceret: Debuisset plenus fiducia in Deum solo vocis imperio ex petrâ aquas provocare, & ipse percussione virgæ adhibuit, Num. 20. v. 10. ac propterea solum debuit mori antè ingressum terræ sanctæ, & repudiatus fuit à Deo, ne populum, quem ipsos quadraginta annos, summâ curâ circumduxerat, in terram promissam induceret. Ita Ezechias ex inani
qua.

quadam gloria, & cum vana quadam complacentia, legatis Regis Babylonie thesauros suos ostendit. quâ re sic Deus offensus est, ut statim miserit ad eum Isaiam Prophetam cum hac prædictione : *Ecce dies venient & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt Patres tui usque in diem hanc, in Babylone non remanebit quicquam, ait Dominus, & c. 4. Reg. 20. v. 10. & seq.* Et ita prorsus evenit. Nam postea Nabuchodonosor Rex expugnavit Jerusalem & omnes thesauros Regios inde abstulit. Tu jam statue tecum, quæ peccato veniali pravitas insit, quando vel unicum Deus morte plurium hominum & vastatione integri Regni vindicat, neque tamen supra condignum. Atque hinc sequitur.

Ratio Quinta Quodvis veniale peccatum, etiam minimum, est pejus morte & jacturâ rerum temporalium omnium, uti testatur, S. Dorotheus: *Longè melius est & corpus suum & omnia corporea perire simul, quàm ledi animam tuam in re etiam minimâ.* S. Dorotheus. Sermon. 20.

Ratio Sexta. Peccatum veniale meretur gravissimas pœnas purgatorij, de quibus audi S. Cæsarium Arelatensem: *Ille ipse purgatorius ignis, durior erit, quàm quod possit pœnarum in hoc seculo aut accidere aut sentiri aut cogitari.* S. Cæsar. hom. 8. Imò si fores tam Sanctus, quàm fuere Apostoli, & morereris

rum unico veniali peccato, anima tua ad Dei conspectum non admitteretur, nisi purgatorij flammis expiata. Jam verò tam delicatus tu es, ut nec per horæ quadrantem unius candelæ flammam minimo digito experiri queas, & tamen ea audes indies & sæpius, ob quæ acerbissimi purgatorij ignes multo te tempore torquebunt.

Ratio Septima. Venialia peccata disponunt ad damnationem æternam, cum enim sint quasi pulvis animæ oculos excœcans, ne videat peccati mortalis gravitatem, hinc fit ut, qui frequenter in peccata levia deliberatè se præcipitant, tandem in mortalia labantur, uti pulchrè expressit S. Dorotheus: *Ex his minimis & verè vilibus ad magna contemnenda delabimur: cum enim cœperit quis dicere: quid est si verbulum hoc unicum locutus fuero? quid est, si modicum hoc comedero? quid si in hanc rem intendero? Ex hoc quid id, quid illud, admittitur mala & amara esca, & sensim incipit quis & pedetentim in majora ac graviora prolabi, & sic deinceps per partes proruens periclitatur, atque in perfectam insensibilitatem decidit.* S. Dorothei. doctr. 3. Jam autem quis velit cibos comedere, quæ phthisin generant & infallibiliter ad mortem post unum fortè annum subeundam disponunt.

§. II. *Quamvis venialia peccata omnia vitari debeant certa tamen præ cæteris vitanda sunt.*

Fuge

Fuge imprimis ex venialibus ea, quæ sunt periculosa, & viam facilem ad mortalia sternunt, qualia sunt negligentia in repellendis cogitationibus impuris, curiositas in aspiciendis personis alterius sexus, imaginibus non sat castis, lectio librorum vanorum & amatoriorum, &c.

Fuge deinde ea, quæ dedecent virum maturum & prudentem, & quæ illam ob causam etiam apud Sapientes Ethnicos exosa fuere, uti sunt mentiri, rixari, sectari delicias ciborum, &c.

Fuge tertio omnes illas imperfectiones, quæ nimis crebro & facile à multis admittuntur in officijs divinis, auditione Sacri, recitatione precum. In quibus multi distracti sunt voluntariè, vagantur oculis, fabulantur liberè de rebus non necessarijs. Quæ omnia cedunt in insignem contemptum divinæ Majestatis infinito cultu dignissimæ.

Fuge quarto omnes illas noxas, quæ adversantur fraternæ Charitati, præcipuè sugillationem alienorum morum, suspiciones & judicia temeraria, & quia in his ferè sine ullo sensu peccant homines, & cum insigni injuria Dei & proximi, Tu in hac materia tanto cautior eris, & binas quas propono regulas, nunquam devio mentis proposito sequere. 1. est in rebus, quæ naturaliter sciri à te certò non possunt neminem unquam judicato, talia autem sunt secreta cordium.

ut cogitationes, intentiones, affectionesque hominum. Quid obsecro vis agere Judicem ijs in rebus, quarum notitia non ad te, sed ad solum Deum pertinet? Huc etiam spectant omnia ea, quæcunque contingentia & adhuc futura sunt, v.g. An talis vitam suam emendaturus sit, an non. Dic age si olim vidisses bonum latronem, dum is cum Christo ad supplicium ultimum educeretur, dum in Crucem suffixus, unà cum Socio Christum convitijs laceraret, putassetne futurum, ut latro iste ad meliorem frugem, mentemque saniozem rediret? redijt nihilominus, & ex calumniatore Encomiastes Christi factus est, & ex latrone Martyr. Ex eodem fundamento contemne signa illa prognostica, ex quibus alij de futuris liberè contingentibus nimis liberè iudicium formant, idque fere semper erroneum. Hæc uni Deo committenda sunt. Similiter noli pronuntiare de Consilijs Regum & Principum, aliorumque hominum quæ secretò conclusa sunt, nec certis iudicijs eorum qui interfuerunt, in publicum eruperunt. Exigua fides adhibenda est communi hominum fama, quæ plerumque falsa est & mendax, nec prudentis est, ut credat continuo rumusculis vulgi, quibus parum veri subesse solet, imò signi-
 Regula II. Si res quæ iudicanda venit, in propatulo & manifesto foret, sic age
 aut

aut enim res illa externa in se peccaminosa non est, sed talis quæ potuit fieri bene aut male, ac tum semper factum ab altero in meliorem partem accipe: in rebus enim dubijs vera charitas non cogitat malum, sed bonum. aut res externa in se mala est, & peccatum, v.g. blasphemia, ebrietas, homicidium, & tum potest quidem damnari res ipsa, sed cor charitate plenum excusabit authorem, dicetque fecisse id eum inconsideratè, cæco impetu, tentationem fuisse valde vehementem; illum fortè surrecturum brevi & te multò foediùs lapsurum esse. Denique ex uno alterove lapsu proximi, non formabis conclusionem universalem de malitia & ineptitudine ejusdem. Qui hodie jacet, cras erigi ac surgere, & qui hodie peccator est, cras converti & justus ac Sanctus effici potest. Nec enim homines similes sunt Dæmonibus, qui ex obstinatione & pervicacia indolis suæ semel lapsi nunquam relurgunt. Atque ex his facile perspicias, quàm esse debeas cautus ne malè loquaris de alijs, cum tanta requiratur cautela, ne finitimum de proximo Judicium apud teipsum efformes.

INSTRUCTIO III.

Perfecta cordis mundicies perfectum requirit Passionum dominium.

§. I. *Quid & quot passiones sunt in homine?*

PASSIO, ut rectè eam describit S. Thomas, est motus quidam sensibilis potentia appetiti-

va, propter imaginationem boni vel mali. Eiusmodi autem passiones in homine sunt undecim. Amor & odium, desiderium & fuga, gaudium & tristitia, spes, audacia, desperatio, timor, ira. Dum enim per potentiam imaginativam tibi res aliqua proponitur ut bona, & conveniens, amas illam, & siquidem est absens, desideras, si præsens & obtenta, gaudes in illa & acquiescis. Dum verò exhibetur & repræsenteratur ut mala & incommoda, odisti, & siquidem est absens, fugis eam, si præsens, tristaris. Similiter si bonum illud, quod amas, sit arduum, sed tamen possibile surgit in te spes illud obtinendi, & audacia in applicandis medijs; si apprehendatur ut impossibile, surgit desperatio; si verò malum arduum apprehendatur ut futurum, elicitur timor, at si præsens consideretur, accenditur ira, quâ vindictam de illo paras, qui malum intulit. Jam autem ne passiones illæ in te sint inordinatæ, regi debent juxta rectæ rationis præscriptum, & generoso conatu cohibendæ sunt ac frangendæ, ne à recto virtutis tramite exerrent.

§. II. *An possimus in hac vita passiones nostras perfectè vincere & in quo perfecta hæc victoria consistat?*

NOlim tibi persuadeas te passiones tuas in hac vita penitus extirpare & ita radicatus evellere posse, ut illæ nullos unquam pravos motus, legique divinæ repugnantibus,
 in

in te concitaturæ sint, nam teste D. Grego-
rio Nysseno: *Fieri non potest, ut in vita mate-
riali, materia penitus & affectuum expers vita
transigatur: homil. in Beatimites. Quid?
quòd ipse S. Paulus licet Sanctissimus, ita
tamen de se fateatur? video aliam legem
in membris meis, repugnantem legi mentis mee.
Rom. 7. v. 23. unde vides.*

Quam malè docuerit Evagrius omnes
omnino passionum naturalium motus alic-
nos esse ab homine perfecto, cùm tamen et-
jam in Christo ipso tales affectus tristitiæ v.
g. & iræ, extiterint. At in illo nunquam ex-
urgebant contra vel præter rationem, verùm
tunc tantùm, quando perfectissimo rationis
dominio ijs imperabat, ut exurgerent actus-
que suos elicerent. Durabantque tandiù,
quamdiu ipse volebat, nec amplius.

Vides deinde quàm item malè opinati
sint Stoici qui docuere in sapientem nullos
cadere motus, etiam primoprinos inordi-
natos: Cùm tamen & viri perfecti plenique
passionum suarum Domini, eiusmodi in se
motus ante rationis imperium, quamvis si-
ne peccato, quia cum mentis renitentiâ ac
reluctatione, ubi adverterint, experiuntur.
Plena itaque pravarum inclinationum vi-
ctoria consistit in hoc, ut qui passionum sua-
rum dominium obtinet, nulli unquam mo-
tui inordinato ad peccatum aliquod trahen-
ti, liberè consentiat, imò nullam voluntari-

am negligentiam in refrananda passione admittat, postquam advertit illam contra rectam rationem exurgere. Verum ut clarius perspicias, quo pacto animus ille comparatus sit, qui perfectus sui victor evasit, legatur quæ sequuntur.

§. III. Traditur enucleatius, quis sit status perfecti passionum Domini.

Non exurgunt in illo vel ordinariè vel sæpe passionum affectus involuntarij mentem vehementer perturbantes. Cum tamen e contrario in imperfectis ejusmodi passionibus iræ, tristitiæ, doloris, diu persistere, & corpus cum detrimento sanitatis, somni &c. alterare soleant. A certis passionibus, a quibus antea valde infestabatur, & quibus sæpe perperam consentiebat, ita modo liber est, ut vix motum primò primum amplius ea in materia patiatur v. g. qui antea facilè & valde solebat irasci, injurias persequi, postea nihil horum facit, imò sentit intensos benevolentia affectus erga eos qui suis injurijs cooperantur.

Fert etiam talis mortis Charissimorum, & sanguine junctorum admodum pacatè, sæpe sine lacrymis, & sine ullâ sensibili corporis immutatione. Sæper manet in eodem statu, semper æquè dispositus ad omnia, sine ulla sui variatione, magnâque utens quiete in actionibus omnibus, & suaviter serioq; intendens ijs, quæ ex Dei voluntate exequitur.

Si

Si quando per imperium rationis passionem aliquam concitavit, eaque usus est, quantum oportuit, statim sese componit, manetque in statu tam pacifico & quieto, quam ante passionem concitatam fuerat.

Majorem quoque inclinationem is sentit ad facienda ea, quæ Deo placent, quam sentiat ad recreationes etiam non malas, & solitaria honesta. Imò ab his potius sensibilem experitur in se aversionem: Imò objecta amara amplectitur sine singulari repugnantia, qualia sunt viles cibi & insipidi, dura cubatio, amotio à campis & hortis, &c. denique

Habet sensus bene ordinatos, & membra corporis ad nutum fere rationi obedientia, ut, dum laboribus corporeis fatigatus est, & semidormiens, ex naturæ necessitate, corpus non resistat operibus pietatis, sed magis ad ea propendeat. O felicissimum hominis in hac vitâ statum! quis est hic & laudabimus eum?

INSTRUCTIO IV.

De Custodia & moderatione sensuum externorum.

§. I. De Sancto usu oculorum.

Vitabis studiosè aspectum illarum partium, etiam in proprio corpore, quas natura & pudor esse voluit rectas. Certe viri spirituales, valde cauti sunt, etiam dum soli sunt, dum se vestibus exuunt, aut induunt, ut utrumque id faciant magna cum

honestate, nec ullam corporis sui partem nudam videant.

Tempore orationis oculos vel penitus claudes, vel in Eucharistiam piãve imaginem conijcies, ac diligentissimè cavebis omnem oculorum etiam instantaneam evagationem in exercitijs pietatis.

Personas alterius sexus ne videas absque manifesta necessitate. Satius semper est ab illis oculos avertere, etiamsi nullum ex tali aspectu timeatur periculum. Quanquam facilis sit transitus ab aspectu ad cõcupiscenciam, & imago mulieris cordi ingesta, si non consensum extorqueat, at tentationes, & recordationes ineptas exfuscat. Noli igitur aspicere incautè, quod postea invitus ames, sed Jobum imitare dicentem: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Job. 31.

Dum colloquium necessarium habes cum persona alterius sexus, oculos in vultum eius defixos minimè tenebis, sed dissimulanter clausos in terram deijcies. Avocabis etiam oculos ab aspectu rerum amœnarum, si magnos Sanctos imitari velis: tales res sunt campi, horti, palatia, hastiludia, imagines prophanae, libri curiosi, &c. Nam hæc omnia solent mentem viri spiritualis multum distrahere, & à tranquillitate & puritate perfecta dimovere.

Cum aliquò pergis, sive domi, sive foris,
occur-

Occurrentes & transeuntes non aspicias liberè & leviter, & sine aliqua necessitate. Etiam in rebus indifferentibus, & non malis videndis regula tua sit non curiositas, sed necessitas.

§.11. *De moderatione odoratus & auditus.*

Clemens Alexandrinus Christianum adolescentem instituens, multa disputat adversus unguentorum amatores; præter alia hæc digna notatu habet: *Oportet viros imprimis, apud nos unguenta non olere, sed vitæ probitatem.* l.2. pædag. c.8.

Quamquã sive viros sive fœminas spectes, valet pro omnibus illud Attali Regis Ethnici apud Senecam dictum: *Optimus odor in corpore est nullus odor.*

Noli manibus versare poma citrina, flores suaveolentes, neque hos decerpe etsi hortum ingrediare floribus refertum. multò minùs gesta vestes, interulas, linteola, odoribus perfusa.

Ob modicas & potiùs apprehensas debilitates cerebri noli circumferre pyxides diverso balsamo repletas. Inidò nec imagines nec thecas reliquiarias sub prætextu venerationis Sanctorum odoribus delibutas tecum gestato.

Cæterùm si vel aëris pestifera conditio, vel notabilis infirmitas, vel urbanitas ob adventantes hospites suffitum aliquem boni odoris exigant, cum excitari non erit à perfecta

fectionis amante alienum.

Cum necesse fuerit propter animarum salutem, aut ad aliquod pium opus gerendum graveolentiam sustinere, eam fortiter perfer, nec propter hanc obsequia charitatis omitte.

Aures tuas sepi spinis, nec audias cantilenas & verba turpia, verba jocularia, narrationes ridiculas, rumores & novitates ad te non pertinentes, detractiones & obmurmurationes, sermones otiosos. assuescant potius aures tuæ concionibus, colloquiis & cantionibus sacris. Quæ alii loquuntur secretò, non auscultes, nec aucupes nec confortio secretè loquentium teingere. Nihil audire aveas, nisi quod necessitati aut utilitati, aut charitati aliquo modo conducit.

§. III. De mortificatione gustus.

Quisquis plenam gulæ victoriam obtinere studeas, conviviorum osor esto & ad ea invitatus omnem prætextum & ansam quære eadem declinandi: nam hæ ciborum & potus lautitiæ, quàm corpus impinguant, tam jejunam faciunt animam; oblectant palatum oris, sed impediunt gustum orationis.

Si convivium omnino declinare non potes, quod eidem vel ex officio, vel majorum jussu, vel ex fructus spiritualis à convivis referendi spe interesse debeas, tum ta-

mea

men curabis sedulo, ne in hoc etiam proposita perfectioris temperantiae transgrediaris. Veri abstinentis est inter exquisitissimas epulas sitire & esurire posse.

Nunquam coenabis, nunquam prandebis, nisi certas tui victorias retuleris, & ex cibis quidem, qui magis arrident, certos semper bolos intactos relinque, eosque velut acceptissimum Deo sacrificium consecrato.

Vino non utere nisi per modum medicinae, ad fovendum calorem naturalem stomachi, quem forte in te sentis debiliorem.

Saltem dum bene vales: nihil speciale ad manducandum pete, sed his ferculis quae tibi à domesticis apponuntur contentus esto. Imò si quid speciale offeratur, modeste & efficaciter recusa, nisi aliud certa infirmitas postulat.

Nec cibos commenda si bene preparati fuerint, nec de iis querere, si fuerint insipidi & conditi male. Etiam cibus vilibus sine aviditate vescendum est, etiam in horum esu te frangere disce, si sentias te his magis oblectari, quam pretiosis & delicatis.

Perfectè temperans etiam communes cibos nunquam ad satietatem capiet, sed ita e mensa surget, ut tantillum eturiam juxta D. Leonis monitum: *Paukulum esuriamus dilectissimi, & aliquantulum quod iuvandis possit prodesse pauperibus, nostra consuetudini subtrahamus.*

Lau-

Laudabilis est consuetudo eorum, qui extra tempus coenae & prandij comedunt & bibunt nunquam, aut certe admodum raro, quando videlicet causa rationabilis vel honestatis, vel necessitatis id ita exigit.

Laudabiliter & faciunt ii, qui certis cibis constanter abstinent, raphano v. g. lactucâ, cucumere cupedis ex saccharo confectis, &c. praesertim si hæc stomacho sunt noxia. Si religiosus es, nullam portionem attinge, quæ non ad te, sed ad alium spectat, id enim religiosus per votum paupertatis non licet.

Statos jejunii dies ab Ecclesia præceptos ad unguem observa. Nec ab his ob quasitas causas te exime.

Præclara etiam illorum abstinentia est, qui consuetis Ecclesiæ jejuniis minimè contenti, adhuc certa jejunia sibi ipsi imperant, idque septimanis singulis, Die Veneris v. g. aut Sabbathi.

Hæc sunt, quæ in temperantiæ materia te monendum duxi. Hæc omnia autem licet tu feceris, adhuc servus inutilis es, si te magnis cum Sanctis compares, qui cibos appositos cineribus aspersis, vel amarâ herbâ immixtâ reddidere insipidos; qui per omnem sæpè vitam carne & vino abstinuere; qui totos menses, imò & annos in pane & aqua jejunarunt; qui herbis solis & radicibus vitam omnem traduxere; qui sæpè cum heroica sui victoria lixerunt ulcera, & purulentam

lentam

lentam vulnerum saniem velut dulce lac ex-
suxerunt. Tu homo mollis, quid ad ista &
etiam horrore concuteris, ista quando vel
legis vel audis.

Cavebis tamen indiscretas & nimias ab-
stinencias, quæ valetudinem possent lædere,
teque ad majora DEI obsequia inhabilem
reddere. In his uti & alijs consilium con-
fessarij sequere.

§. IV. *De Mortificatione Tactus.*

AD mortificationem tactus spectant diver-
berare se flagellis, quod multi faciunt,
indies, gestare cilicium, vel catenulas fer-
reas aculeatas; cubare in dura humo, vel lo-
dicibus substernere asserem; scribere & stu-
dere stando; in vestibus & lecto non molli-
ciem, sed solam necessitatem querere; de
vestitu & lecto viliori non queri; tolerare
morsus pulicum & muscarum; Sedere sine
pulvillo supposito; inter sedendum non ac-
clinare tergum; usurpare sellam non corio
obductam sed ligneam; Orare multum de
genibus, idque in templo coram venerabili
Sacramento, etiam de hyeme; non lenire
prurimum carnis fricando; gradus ascendere
sine adjuviculo; libenter facere iter pedi-
bus, non dormire septem horis, sed aliquid
somnia detrahere; somnum interdium obre-
pentem excludere; ambulare insertis lapil-
lis in calceos, &c.

INSTRUCTIO QUINTA.

De externa Christiani compositione & vitiatione defectuum etiam inculpabilium.

TANTUS EST Christianæ puritatis nitor, ut non solum ex corpore & animo arcita velit, quæcunque habent rationem veræ culpæ, sed etiam isthæc omnia caveat sedulo in quæ licet formalis peccati ratio non cadat, sunt tamen ejusmodi, quæ in oculis hominû & Dei, ut indecora & inconcinna æstimantur, & quæ eam ob causam à viris prudentibus & exactè Sanctis non solum improbata, sed etiam studiosè vitata sunt. Sic indecens & minus compositum habetur, inter ambulandum jactare brachia instar seminantis, inter sedendum divaricare pedes, crus cruri superimponere, alijs cernentibus digitos naribus inserere, & inde sordes extrahere, ungues non habere præcisos, eosdem coram alijs refecare, decerpere foliola aut ramusculos ex arboribus, iisque lustrare, sputa à te ejecta non obterere pedibus, ridere & loqui altiùs, & id genus alia, quæ perfectæ puritatis amans sedulus cavebit, ut in quavis occasione nitidissimos divinæ Majestatis oculos & cor solari & exhilarare possit. Felicem te, si Sponsus ille cœlestis in te hoc deprædicet, quod suâ in Sponsâ dilaudavit. *Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum*

morum, & in uno crine collitur. Cant. 4. v. 2.
modestè videlicet & decenter composito.
Qualis igitur est aulicus dum Regi astat, ta-
lis tu esse enitere coram oculis DEI & An-
gelorum. Imò quales esse solent ipsimet
Principes, qui oris specie, & morum Maje-
state plerumque inter aulicos suos eminent,
talis tu esse & morum compositione vere-
cundiâque inter domesticos tuos excelle-
re stude: Dico quod est ampliùs: Ipsos
Angelos moribus tuis exprime, & in terris
vive sicut terrestris quidam Angelus, ut di-
cere possis cum Paulo: *Nostra autem con-
versatio in Cœlis est.* Angelicam conversatio-
nem tenere conentur, inquit S. Laurentius Ju-
stinianus, *quotquot cœlesti Domino gratissimum
desiderant exhibere famulatum.*

INSTRUCTIO SEXTA.

*De abolenda obligatione pœnarum in Pur-
gatorio sustinendarum.*

ECce tibi ultimum eumque sublimissi-
mum puritatis perfectæ gradum, ut des
videlicet operam, quò pro peccatis præteri-
tis ac præsentibus ita plene satisfacias, ne
post mortem purgatorij carcere detineri co-
garis, sed omnino purus & integer, ad DEI
conspectum admittare ocyùs. Res enim-
verò ardua, & difficilis. fateor, sed cave ani-
mum despondeas, monitisque, quæ suggero,
obtempera, ac tum quod optas, obtine-
bis.

Tene,

Tenero ac præcipuo quodam amore complectere Virginem Deiparam, ejusque gloriam apud omnes propagare stude. Nam si ipsa patrocinio suo (uti certæ historiæ testantur) homines etiam impios & in peccato mortali defunctos, propter obsequia exigua constanter ab illis adhuc viventibus, sibi exhibita ab inferni pœnis liberavit, quidni & peculiarem Patronam ipsa agat hominum justorum, illorum, inquam, qui impensè eam, dum viverent amârunt & honorârunt? quidni & illis à Filio condonationem purgatorii vel ex toto, vel saltem aliquâ ex parte impetret? certè pollicetur ipsa: *Qui elu- cidant me, vitam æternam habebunt.*

Esto singularis patronus & adjutor animarum in purgatorio jam detentarum, pro illis lucrare indulgentias, quascunque lucrari poteris. Pro illis offer satisfactiones omnium tuorum operum. quâ enim mensurâ mensus fueris, remetietur tibi, & quas liberasti animas, ex beneficium à te acceptum memori mente servabunt, & Deum pro te rogare non desinent, usque dum evincant, ut tu mortuus vel nullum vel certè levissimum purgatorium experiaris.

Pœnitentias à Confessario tibi impositas, etiam graves, æquo animo suscipe, & primâ occasione cum insigni mentis fervore expleto. Sæpenumero elice dolorem internum de admissis peccatis, & eadem pœnis voluntariis

sarijs v. g. jejunijs, humi cubationibus &c.
expiare stude.

Uttere frequenter Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ, præsertim quando cum usu Sacramentorum conjunctæ sunt indulgentiæ plenariæ.

Omnes cruces siue internas siue externas tolera invicto animi robore : hæc enim tolerantia, est quoddam quasi Martyrium, quod animam morientis restâ facit evolare ad cœlum.

Opera bona fac multa, in iisque egregium mentis fervorem & conatum adhibe, & intentione actuali ad finem supernaturalem majoris divinæ gloriæ semper eadem referto. Ante omnia autem stude operibus charitatis : Eleemosynas, si potes, elargire liberaliter : *eleemosyna enim, ut dixit Angelus Raphaël Tobiz, purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam Tob. 12. v. 9.* usque adeo ut S. Thomas cum alijs doceat : *Eleemosynam plus esse satisfactoriam pro peccatis, quam jejunium & orationem. in 4. d. 19. a. 2. q. 2.* Inardesce insigni animarum Zelo, & studio convertendi peccatores. *Quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore via sua, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum: Iacob 5. v. 20.* Denique inimicis tuis ignosce ex animo, dimitte debitoribus tuis, ut quæ peccando contraxisti debita, tibi dimittantur à Deo. Nam
veris.

verissimum est, quod D. Chrysoſtomus ſcribit : Cogitemus ergo, cum iniuſiè aliquid patimur, quia ſcilicet pro illatis injuriis nobis, remiſſionem accipimus omnium peccatorum, aut ſi in nobis tanta delicta non fuerint, clarioribus honoremur coronis. S. Chryſoſt. hom. 9. in Matth.



PARS TERTIA. FAC BONVM

De ſolidis virtutibus, quas ſectari debet perfectionis amans.

INSTRUCIO PRIMA.

Quæ ſit indoles, & quæ actiones humilitatis perfecta?

§. I. Quales cogitationes debeant eſſe in intellectu veri humilis?

Quoniam humilitas eſt virtus, uti rectè docet S. Laurentius Juſtinianus, quæ homo veriſſimâ ſui cognitione ſibi iſi vileſcit, hinc in intellectu tuo, ſi vis eſſe verè humilis debet eſſe continua cognitio tui non eſſe, & in voluntate continuum gaudium in omnibus illis rebus, quæ poſſent inducere ad tui contemptum, uti ad Magdalenam de Pazzis in quodam raptu, S. P. Ignatius loquebatur: Agnoſce
te

te ex te-ipſo nihil eſſe, niſi merum nihil. & corpus & animam ex quibus conſtas, & bona omnia tam interna, quam externa, quæ poſſides, accepſiſſe te à Deo, qui ſi voluiſſet, alium tuo loco condidiſſet, qui longe melius beneficio creationis & donis aliis tibi conceſſiſſis uſurus fuiſſet, quam tu modo utaris. Agnoſce, quid ſecundum corpus fueris antequam naſcereris, materia nempe foeda & vilis, quam etiam profari pudet: quid modo ſis? morborum videlicet, ætatis, & inconstantia ludibrium: quid futurus ſis? eſca vermium & maſſa pulveris.

Agnoſce quam parum poſſis. Quam vires tuæ ſunt exiguæ ſi cum integro quodam exercitu comparentur, aut cum Angelis aut cum ipſo DEO? Coram quo totus orbis eſt gutta ſitulæ, inane, & nihil. Quam ſcientia tua eſt modica, & multis ignorantia admixta? ſciſ aliquid, ſed multo plura ſunt, quæ neſciſ. Quam potentia tua ad bene operandum eſt impotens? id recte expreſſit D. Paulus: *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Deus eſt, qui corpus & animam conſervat, qui gratis ſuis iuvat & excitat, qui omnipotenti influxu aſſiſtit, ut bene opeteris; adeoque minima omnino portio in opere bono tua eſt, unicus videlicet aſſenſus, quem gratia divina præbes. Jam verò opera tua, etiam bona quot imper-

etionibus scatent? an non ea similia sunt uvæ, in quâ si unus botrus dulcis & maturus est, decem alii occurrunt acerbi & immaturi? & hæc sunt delitiæ, quibus Deum tuum tractas.

Agnosce multitudinem peccatorum venialium à te admissorum, & tamen vel unicum veniale est detestabilius omnibus mundi malis, satiusque foret totum mundum, te perdere, quàm Deum veniali noxâ offendere.

Vide an vel unicum lethale scelus totâ vitâ admiseris, & si admisisti, indignus es quem terra ferat, dignissimus autem omni contemptu & contumeliâ, quia meruisti infernum, qui gravior est omni malo & despicientiâ hujus mundi. & fortè admisisti peccata mortalia complura: fortè idem mortale scelus iterasti centies, imò millies: Es itaque ulcus, & apostema foetidissimum, ex quo tanta peccatorum sanies, tantaque flagitiorum & iniquitatum lues effluxit. Es pejor creaturis insensibilibus, quæ semper Deo obtemperant, tu autem illi sæpe numero rebellis & refractarius extitisti. Es pejor Ethnicis & Turcis & Hæreticis, qui diligentiores sunt in suis erroribus & perfidiis, quàm tu in vero & genuino Dei cultu. & qui ea scelera nonmitterent, quæ tu admisisti, si gratiam & Dei cognitionem haberent, quàm tu habes. Es pejor ipsis Dæmonibus, nam hi peccarunt semel, tu sæpius. pro illis Christus non est

mer-

mortuus, uti mortuus est pro te: illis nunquam data est venia, quam tu per contritionem & confessionem frequentissime consecutus es.

Reputa te omnium hominū novissimum, peccatorum maximum, justorum minimum quod quidem facile tibi persuadebis, si quæ sequuntur rationes rectè perpenderis. Nam Primò nemo hominum est, de quo certâ scientiâ tot peccata saltem interna noveris, quot nosse de teipso. Secundò nullus hominum est, quem certò cognōris tot gratiis & inspirationibus Sanctis abusum esse, quot tu homo deses & ingratus abusus es. Certè verus es Tantalus qui inter medias gratiarum undas adhuc sitiit. Tertio in eo totus cardo vertitur, non qualis modò sis, sed qualis futurus sis in articulo mortis: fortè qui jam est peccator maximus, morietur feliciter, & tu infeliciter. Quartò Deus inscripturis tibi præcipit, ut te habeas pro omnium infimo. Sic Paulus: *Idem sapiatis, nihil per inanem gloriam, sed in humilitate Superioris sibi invicem arbitrantes.* Phil. 3. v. 8. Vult ergo ut alios arbitreris superiores te, non in officio, nam id nequit facere Pater respectu filij, & Dominus respectu Servi, sed in gratia & sanctitate. Sicut ergo in aliis fidei materijs captivas intellectum in obsequium fidei, ita etiam ex reverentia divini hujus præcepti, habe te pro minimo, & si rationes variæ in contrarium occurrant.

Judi-

Judica te indignum donis DEI, quia vas es immundum, adeoq; inidoneum, in quod Deus liquores cœlestium charismatum infundat.

Si quid rogasti à Deo, quod acceperis, noli putare te tuis precibus id impetrasse. Cum enim certò non scias, id tibi datum esse intuitu precum tuarum, potiùs præsume id esset ibi collatum, ex mera Dei benevolentia & dic cum Jobo: *Cum invocantem exaudierit me, non credo, quòd audierit vocem meam.* Job. 9. v. 16.

Adverte tamen non esse contra hæc mentis humilis principia, cognoscere in se Dei dona, etiam valdè eximia, juxtà illud Pauli: *Nos autem non Spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* 1. Cor. 2. v. 12.

§. II. *Quales affectiones sint in voluntate veri humilis.*

OMnia tua opera comitetur magna tui ipsius diffidentia & sanctus Dei timor, quæ duo utinam nunquam recedant à latere tuo.

Hæc tamen diffidentia non debet esse conjuncta pusillanimitati. Nam verus humilis, quantum diffidit sibi, tantum, & multò plus confidit in Deo, nec est abjecti animi sed erecti & excelsi, ut patet in humilimo Paulo animosè & confidenter dicente: *In quo quis audeat, audeo & ego. Omnia possum in eo qui me confortat.*

Exc.

Execrare vanam gloriam, nam qui vanè
studet hominibus placere, sæpe illis ipsis,
semper autem displicet Deo.

Dignitates & honores tantum horre, quā-
tum mundani homines oderunt contem-
ptum & ignominiam.

Qui pati recusat contemptum, verba a-
spersa, irrisiones, delationes falsas, & his
similia, ad huc rudis est in Christi schola di-
scipulus, in qua prima lectio est: *Di, cste à
me, quia mitis sum & humilis corde.*

Ama confundi ab alijs, & si te confundant
gaude. neque id tibi sufficiat, sed etiam ul-
trò confunde teipsum: Tui ipsius tenebras,
latibula, contemptum, confusionem in om-
nibus occasionibus quære, ut tantò similior
fias tuo Jesu.

In confusionibus tamen publicis queren-
dis noli procedere ex spiritu exotico aut ere-
mitico, sed Christi, præstat in ijs sequi con-
siliium Superioris & Confessarij, à quo ta-
men licentiam non decet extorquere.

Ex duobus æquè conducentibus ad Dei
gloriam, elige id, quod abjectius est & diffi-
cilius: ita etiam Christus voluit mundum
redimere per viam crucis, etsi viæ alia, ipsi
non deessent.

Ex his patet quomodo magni etiam Do-
mini debeant esse contenti titulis ac cere-
monijs, quæ ipsis exhibitæ fuerint, & quo-
modo omnem, quam possunt moderatio-

nem eos adhibere oporteat, quando eis non omnis honor datur, qui secundum humanum morem debetur. Considerent tales se esse coram Deo peccatores, & propter offensas, quas contra divinam Majestatem commiserunt, omni cōtemptu dignos, ideoque honorem qui ipsis fit, adhuc majorem esse, quàm mereantur.

§. III. *Quales esse debeant mores externi
- veri humilis.*

CUM nemine rixosè contende. & si quid dixeris cui alter contradicat file ocyus, si res sit levis momenti, nec Dei honorem aut proximi salutem concernat.

Summo studio cavebis, ne apud ullum omnino hominem ulla tibi propositio excidat, directè vel indirectè cedens in laudem tuam. & si in hoc genere deliquisses, vesperi certis pœnitentijs delictum expiabis.

Si quid boni alium doces, quod eum facere desideras, noli pro motivo persuadendi facilè & leviter proponere teipsum & propriam experientiam. Sed pete motiva & argumenta doctrinæ tuæ, ex reipsâ, ex vita Christi B. Virginis & Sanctorum. ita efficacius persuadebis, quod voles, nam certum est virtutem, quam doces fuisse in Christo, incertum autem, an illa sit in te.

Si te alij laudent, & commendent ea, quæ feceris, ocyus te reflectas ad propriam tuam vilitatem, quàm nihil ex te sis, & possis,
quot

quot sceleribus & imperfectionibus scateas, ut à planta pedis usque ad verticem capitis non sit in te sanitas. ac tecum cogitabis si te alter melius nosset, non diceret, quæ dicit, tum autem, ne tu ipse juves tam vanos & falsos de te sermones fovere, quamprimum tales incident, subito oculos in terram conjicies & silebis, aut leviter elevando id, quod dicitur, sermonem ad aliud transferes.

Libenter conversare cum hominibus vilibus ac pauperibus, nec ullius conversationem dedignare ideo præcisè, quia vilis & pauper est.

Sensa spiritualia & gratias à Deo concessas omni studio abscondes. Si juvat hæc secreta amicis communicare, optimus tuus amicus Deus est, qui corda & renes scrutatur. Sufficiat tibi cum scire, quæ in animo tuo latent; ille unus instar est omnium, & cum magna gloria aliquando toti mundo pandet, quæ tu studiosè celas. Advertetamen manifestationem divinorum donorum sæpe esse laudabilem, si cedat innotabile emolumentum proximi, & fiat sine intentione mala, & periculo jactantiæ. Unde ad eam sæpe etiam divinitus Sancti impellebantur.

Quando elicis actus internos alicuius virtutis, nullo id gestu externo prodes, non oculos coram alijs in cœlum levabis, non strictim & præcisè manus conjunges: sed ita

te habebis dissimulanter, quasi aliis tum rebus intenderes.

In confessione omnes imperfectionum tuarum circumstantias aperies, sed breviter, quæ possent ad majorem tui confusionem facere. Sic, licet nullam omnino culpam admiseris in tentationibus carnis, in cogitationibus averfivis, & contrariis charitati &c. tu tamen patefacies, quando & quoties ejusmodi tentationes sis passus. Sic aperies non tantum ejusmodi distractiones in precibus, sed quamdiu illæ durarint, an habueris tempore communionis. Sic homini confusionem amanti non satis est, dicere se impatientem fuisse, sed addet quamdiu in impatientia illa perstiterit, an proruperit in verba aspera &c. Sic multi laudabiliter in confessione repetunt interdum peccatum vitæ præteritæ, cuius detectionem maximè horrent. modo ablit periculum scrupuli.

Ama vestes viles & esto frequens in officijs vilibus, qualia sunt verrere domum. ministrare mensæ, lavare scutellas, osculari pedes alterius, fateri culpam, comedere cum mendicis, deferre partes potiores alteri &c. Verissimum est enim illud Bernardi: *Humiliatio est via ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam.* S. Bern. ep. 87. ad Ogerium,

Cum omni submissione, affabilitate, mansuetudine ages, quotiescunque cum ullo do-

mefficorum aut externorum agendum erit, cave ne quid liberiùs aut præfidentiùs loquere: Nam hoc est indicium alicuius præminentix super alios. Tu autem juxta principia Spiritus, quæ tibi De us ostendit, debes arbitrari omnes Superiores te, & te inter omnes judicare pefsimum & ultimum, imò abortivum hominis Christiani: Si quis te invifet, affurge & occurre illi ocyùs, & omni humanitate, quâ poteris, excipe.

In omni incefſu, alloquio, modo agendi, elucebit judicium illud internum, quo te omnium noviffimum reputas, quo omnes te pluris æftimas; huic enim judicio ne fit otiofum & vanum, conformandi ſunt mores externi.

INSTRUCTIO II.

De perfectâ manſuetudine & tolerantia adverſitatum, præcipue perſecutionum, quas patimur ab hominibus.

R. P. Nicolaus Lancicius vir magnæ ſanctimonix, & ſcriptor religioſiffimus juxta ac Doctiffimus in opufculis variis, quæ magnâ animi luce ſcripfit ediditque, Lectorem ſape erudit, animatque, ut multa velit pati pro Chriſto. Præſtat autem id imprimis, in libello de ferenda cruce & perſecutionibus, in quo etiam ſeptuaginta crucis ferendæ praxes enumerat, & unam fere alterâ perfectiorem. Ego ſummam doctrinæ tanti viri, hic paucis complectat, atque, id ipſius

fere verbis, ut candida & sincera scribendi ratio, quam hic author usurpat, tantò magis in legentis animum influat, & ad patientiam Heroicam permoveat.

§. I. *Quid desiderare debeat verus Crucis amator*

Qvicunque tollere vult crucem suam & sequi Jesum, is æquo animo ferre, imò & desiderare debet, quæcunque amoris proprio molesta accidunt. Quarum rerum classis est gemina. Sunt enim res, quæ infestant corpus, ut morbi, dolores, insomnia, vigilia, aëris inclementia, morsus culicum, latratus canum nocturni, defectus varij in cibo, potu, lecto, vestitu, aliorum obsequijs, quæ nobis debentur, maximè quando sumus ægri, labores item assidui sine levamine, aliorum mores inurbani &c. Sunt deinde res aliæ, quæ immediatè afficiunt mentem, ut sinistra aliorum judicia, de ingenio nostro, doctrina, aptitudine ad docendum, regendum & de nostra virtute, de spiritu nostro, tanquam exotico & illuso; accusationes falsæ, detractiones, irrisiones, reprehensiones, complexio aliorum nostræ complexioni contraria, nimius rigor superiorum, ariditates, desolationes, scrupuli immixti à Deo &c. Hæc igitur omnia non fastidiat, sed ambiat Christianum pectus, desideret inquam. Primò ut maneat in tali loco, scilicet Civitate, domicilio, cubiculo, à quo abhorret ejus amor proprius. Secundo ut
mane-

maneat cum talibus personis, & sub talibus superioribus quos habet minimè addictos, & erga quos experitur in se antipathiam quandam naturalem. Tertio ut tale officium & occupatio ei deferatur & imponatur, ad quam parum afficitur. Quarto ut omnia ejus dicta, facta, & res improbentur & in malam partem accipiantur. Quinto ut omnia ei negentur, quæ desiderat, etsi concedantur alijs. Sexto ut perpetuas patiatur accusaciones sui, detractiones, contumelias, convitia, despectus, degradationes, non promotiones, & sit tanquam signum quoddam, in quod vibrentur omnis generis molestiæ. Septimo ut ex Dei amore, & sine sua culpa faciat jacturam rerum omnium amori proprio placentium, dependentium à libera hominum voluntate, uti sunt bona aliorum, de se opinio, fama, laudes, honores, officia speciosa, applausus hominum & his similia. Octavo ut nō habeat ullum sui defensorē, & patronum in persecutionibus, sed sit derelictus ab omnibus, adeoque possit tenero affectu dicere cum Psalte Regio: *Pater meus & Mater mea dereliquerunt me.* Nonò ut defensiones ejus ab eo non quæsitæ, sed sponte susceptæ ab alijs, cedant in majorem ejus humiliationem & contemptum. Decimo ut ne quidem Deus eum liberet ab ijs, quæ patitur, quò magis annihiletur per adversitates & contradictiones.

§. II. Quid re ipsa ab Christiano Herôe præstari debeat, cum persecutionem aliquam patitur?

Considera imprimis an sint vera ea omnia, quæ tibi attribuuntur teque affligunt, an non? nam si vera sunt, accepta quidquid pateris tanquam poenam peccatis tuis debitam, aut defectus alicujus correctionem; Si autem vera non sunt, gaude, quòd occasionem habeas aliquid pro Deo tolerandi, & ita Deum tibi obligandi & arctius devinciendi.

Animus tuus sit vacuus ab omni affectu iræ, aversionis, disgustus, & vindictæ adversus persecutores tuos. nec sufficiat condonare injuriam, sed positivo & tenero amore eosdem prosequere, eumque amorem signis externis prode, & quoties læderis, toties singulari, beneficio afficere stude eos, à quibus læsus es, præsertim tunc, cum ad gradum altiorem v.g. evedtus, adversarijs tuis nocere posses. ita suadet Christus: *Diligite inimicos vestros, benefasite his qui oderunt vos.* Matt. s. v. 44. Conare demissione tuâ & pulchris agendi modis inimicos convertere in amicos, & eos, qui tuâ causâ irascuntur adversarijs, stude ad positivam erga illos benevolentiam adducere. attribue persecutiones tuas non eorum malignitati, sed bono zelo, & tibi ipsi & alijs persuade, eos potiùs mereri, dum ita te exagitant.

Non

Non inquire nec curiosè indaga, quid ab adversarijs contra te sit dictum, tactum aut scriptum.

Accusatus & fortè non auditâ causâ condemnatus, non te purga, sed sile. Si interrogeris ab eo, qui habet jus sciendi, an deliqueris, ad id tantum præcisè responde, quod sufficit ad interrogationem, non commemoratis alijs rebus & circumstantiis, quæ magis possunt declarare innocentiam tuam, & adversarij culpam.

Non te purga coram adversariis tuis; nec coram iis qui sunt adversariis tuis addicti, adeoque eos aliter informare possent; nec coram iis, qui defensionem tui essent suscepturi, aut saltem compassuri; nec in genere dic: talia solere homines bonos pati. Sed potius ostende signis externis te nihil pati, uti sunt lartitia, fuga solitudinis majoris. &c.

Si accusatores tui vel censores agnoverint innocentiam tuam, & hoc tibi vel alijs significarint, noli hoc ulli indicare.

Dum vides, aliquid ex se non malum, fieri ab aliquo tibi æquali, cum tua vel nausea vel displicentia uti, sunt mores quidam inurbani in comedendo, tace, nec mone, nisi te ratio officii tui ad monendum cogat, vel charitatis obligatio.

Si reprehensus es, etiam iniquè, id nemini patefacias, præsertim tali, qui à reprehensore tuo averlus esset; tum ne huic præbeas

occa-

occasionem aversionis ulterioris, tum ne sentias aliquod levamen, quod sentiri solet, dum cruces nostras patefacimus.

Similiter silentio preme leves morbos, dolores, & insomnias, & similes affectiones corpori molestas, ne ex earundem rerum manifestatione tibi tantillum solatii adsciscas.

Adverte tamen esse certos casus in quibus filere non convenit. Primò si superior jubet ut rei seriem enarres, nam in hoc casu silentium esset manifesta inobedientia. Secundò si silentium tuum vergat in periculum aliorum; noceat communitati, domesticis, rectæ administrationi muneris tui; reddat te ineptum iudicio credulorum ad occupationes divinæ gloriæ promovendæ. Verum quia amor nostri inordinatus, obfuscat rationem, non est facile timendum, ex nostri infamiatione damnum in alios derivatum iri. Nam experientia docet multis non profuisse excusationem, nec infamiæ incendium aliorum maledico ore excitatum potuisse restingui, defensionem verò multam benemerendi occasionem abstulisse; certum etiam est, multis verè Deum colentibus, etsi gravissimè infamatis, famæ jacturam nec officiorum ritè obeundorum munus, nec animarum lucra impedivisse. Itaque ne decipiaris in hoc negotio, pramitte longas ad Deum preces; constitue te in æquilibrio, & potius ad

2100

silentium propende, denique Confessarium aut Superiorem consule, aut certe talem, quem putaveris magis propensum ad silentium.

Conare heroicâ compressione exurgentis impatientiæ & multis ad Deum precibus id assequi, ut sustineas res adversas sine dolore ac mœtore partis inferioris, imò cum gaudio.

Non quære tui defensores & patronos & consolatores in adversitatibus, ne quidem pete à Deo liberationem ab iis crucibus, quæ nulli alteri nocent, nisi uni tibi. Imò, age gratias Deo pro afflictionibus & adhuc majores pete, ut nempe te DEUS in hac vita magis atterat, deprimat, & quodammodo redigat ad nihilum.

Non allevia sensum doloris percepti ex tribulationibus aut effusione lacrymarum, aut manifestatione eorum, quæ iniquè pateris, aut consideratione rerum etiam piarum & sanctarum, si absque tali consideratione possis cruces ita, uti par est, tolerare.

Non desere loca & occupationes, quarum occasione aliquid passus es, nec propterea desiste à benè coeptis, etsi multos sinistros casus eventusque in operibus sincerâ intentione susceptis experiaris. Etiam erga mortuos, qui te afflixerunt, ostende amorem tuum, orando pro illis, & honorificè de illis loquendo.

Etia **B**

Etiam Cognatos & Amicos te tribulantium hoc respectu ama, & benefac eis, & omnia ea exhibe, quæ perfecta charitas præstare jubet, erga ipsos inimicos.

Si inimici tui in rebus suis habeant successus prosperos, gaude, iisque ex corde gratulare; sin autem habent infelices, dole & intimè eis compatere.

Habeto illum diem pro felici & fausto, in quo passus es aliquid; illum verò pro infelici & infausto. in quo nihil passus es. juxta illud S. Climaci: *Is qui ad placidam animi quietem & ad Deum currit, omni die, quo maledicta non suslinet, ingens detrimentum se sustinuisse arbitretur.*

Contemne aduersitates tanquam res leues & nullius momenti. Nec reputa unquam pro injuria, quidquid demum inferatur, quia quotidianis nostris in Deum peccatis id omne optimè sumus meriti; potiùs reputa pro beneficio, quod enim in presenti est, momentaneum & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4. v. 17.

INSTRUCTIO TERTIA.

De amore solitudinis & silentij.

Quantò magis te abstrahis & separas ab hominibus, tantò propiùs accedis ad DEUM. Unde si religiosus es nunquam cubiculo pedem effer, nisi aut necessitas aut charitas id exigat.

Sum-

Summo studio vita conversationes & colloquia sive cum Domesticis sive cum externis superflua. Nam id nisi feceris, animum tuum à peccatis immunem minimè custodies, quia in multiloquio non deerit peccatum: Discindes jucundissimam illam mentis conjunctionem cum Deo, qui loqui solet ad cor eorum, quos duxit in solitudinem, quamdiu in eadem perseverant, & obstrues fontem divinarum consolationum, queis animæ; quietis & taciturnitatis amantes irrigari solent.

Præcipuè congressus & colloquia cum foeminis & rara sint & cauta & necessaria, quippe lubricum negotium est, ubi minimum lucri fit maximo periculo. à colloquiis prolixis, quæ cum mulieribus habentur, plerumque reditu cum insigni conscientie remorsu, & cum magno imperfectionum Angelicæ puritati adversantium cumulo.

Esto in rebus tuis valdè secretus, & quod tacitum esse vis, nulli mortalium reveles, nam ita periculum non erit, ut prodaris. altè imprimendum est illud Poetæ: *Silere quod alium vales, primus file.* Præcipuè consilia, quæ adhuc executioni tradenda sunt, nulli aperito, nisi illi, qui eorum debet esse particeps. Nam consilia etiam optima, idcirco sæpius successu carent, quia citò nimis in publicum erupere.

Nihil temerè enuntia de rebus, quæ ad-

huc sunt in manibus Superiorum & Providentiæ divinæ. Nam de his inconsulto & facile aliquid eloqui, est ferè semper falli & fallere. & cum sæpè res aliter contingant, quàm ipse speraveris & edixeris, ita fiet, ut auctoritatem tuam propriâ culpâ diminuas, & teipsum & verba tua ludibrio exponas.

Summo studio semper cave crises & vituperia aliorum, qui liberè censet & carpit alios, semper duobus nocet. Alteri, quia famam ejusdem obscurat; sibi ipsi, quia passim audiet homo criticus, & in periculo erit, ne alterius, quem læsit, offensam incurrat, si nempe hæc dicta alter ab iis intelligat, quibus eadem credidisti. De alienis tacere, est cum omnibus pacem habere.

Antequam ad loquendum proficias, expende & præmeditare quid loquendum sit. Quo pertinent illa Chrysoctomi verba. *Et lingua regulas quasdam & leges ponamus, ut prius verba ruminet, & ita proferat.*

Si loquendum est, esto in loquendo parcissimus, nec quidquam eloquere nisi necessarium sit, & nisi ad majorem DEi gloriam, & animæ tuæ aut proximi salutem conducat. & ubi plures adsunt, sine præ te alios loqui, qui toties linguâ non offenderunt, quàm tu offenderis. Sanè esset conveniens & maximè decens, ut arcto silentio compensares damna, quæ toties alienæ saluti & famæ, divinoque honori, scandalosè & effra-

ni tuâ linguâ intulisti. Cùm os aperis ad loquendum, cogita (quod verissimum est) verba tua ab ipso Domino & Conditorè univèrforum audiri. Timeque apud illam supremam Majestatem ea sermone proferre, quæ coram Prælato aut inculpatæ vitæ homine loqui erubesceres.

Absint à verbis tuis omnis duplicitas, inconsideratio, præcipitania, imprudentia, importunitas, irreverentia, prolixitas, quidquid demum inordinationem aliquam sapit. & si quid contra hæc monita per diem deliqueris, voluntariis pœnis circà vespèrum expiare stude.

INSTRUCTIO QUARTA.

De Obedientiâ perfectâ, quam perfectionis amans exhibere debet Patri suo Spirituali.

§. I. *Virum ad eximiam sanctitatem aspiranti necessarium sit, ut Magistro alicui Spiritus se totum credat?*

Magistrum Spiritus, sive Patrem Spiritualem hic voco, non solum Superiorem legitimum, qui cum Jurisdictione præsit, uti præsunt in Ecclesiâ Episcopi & Pastores, & in statibus Religiosis Prælati, alique Superiores, sed virum quemcunque Spirituali prudentiâ & rerum asceticarum cognitione ornatum, quem mentis tuæ arbitrum & directorem tibi ipse elegisti, & cujus fidei curæque te ipsum commendasti, vel certè commendârunt Superiores tui, ut ejus du-

ctu & consilio in via perfectionis progredia-
re. De utroque igitur, sive Superiore le-
gitimo, sive conscientiæ arbitro præsens
quæstio procedit: a quoque directionem talis
viri omninò necessariam esse cuivis homini,
qui sanctitatem assequi studet, uti rationes
sequentes convincunt.

Ratio I. Nulla ars aut scientia rectè sine
Magistro discitur, & quis igitur scientiam
Sanctorum, artem inquam artium, sublimi-
tate suâ omninò arduam, & captu difficilli-
mam sine Magistro se plenè assecuturum
speret? Benè id ponderat D. Isidorus: *Ri-
diculum planè est, cum, ut vilium ac Mechani-
carum artium Magistros nanciscamur huc at-
que illuc oberremus, divinam tamen Philosphi-
am tanquam vile aliquid ac despiciendum nobis
committamus.* S. Isidor. Pelus. lib. 1. ep. 260.

Ratio II. Quemadmodum in Processu
& ordine naturæ Divinæ Providentiæ statuit,
ut non ipsa sola, sed unà cum causis secun-
dis res creatas producat & moderetur (sic
enim videmus hominem gigni ab homine,
plantas & metalla astrorum influxu procre-
ari) ita & in operibus gratiæ non vult DEUS
à se solo immediatè fieri omnia, sed hoc vult
DEUS, (verba sunt D. Bernardi) *ut hōmō
per hominem doceatur, & minor majori sub-
datur.* S. Bernard. lib. de ordine vitæ.

Ratio III. Tot sunt in via Spiritus peri-
cula; tam crebræ & subtiles Dæmonis il-
lusi-

lusi-

lusiones; toties hic transfiguratur se in angelum lucis; tam sæpè tingit vitia colore virtutum, & gratias gratis datas, devotionis & lacrymarum donum, ipsos internos DEI instinctus, & apparitiones, velut simia quadam versipellis & dolosa imitatur, ut technas illius vix oculatissimi ac diu multumque in virtute exercitati viri possint discernere. & tu miselle Tyro, tuopte ingenio has omnes Dæmonis artes te agniturum, & propriâ industriâ evasurum tibi stultè persuadeas? Iudubitatè in te cadet, quod D. Bernardus asserit: *Seductori dat manum, qui dare dissimulat Preceptori.* D. Bern. Serm. 77. in Cant. & quod Cassianus: *Nulla alio vitio tam precipitem Diabolus monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quam cum eum neglectis Consiliis seniorum suo Iudicio persuaserit, definitronique confidere.* D. Cassian. coll. 2. c. II.

Ratio IV. Iussa Superioris aut Confessarii perficere, est obedire ipsi Deo. & hæc ratio quia fundamentum & radix omnis obedientiæ est, eam paulò fusiùs ac solidiùs stabilire oportet.

§. II. An qui pareat præceptis & consiliis Patris sui Spiritualis, id semper operetur, quod ab ipso fieri vult Deus?

Quamdiu cæcam hanc fragilemque vitam in hoc mundo vivimus, tamdiu multis non modò dubiis, sed erroribus eti-

am obnoxius est humanus animus. Labyrinthus enim verò est hic mundus, in quo ne erres, filum illud sequere, quo divina Providentia gressus tuos dirigere statuit, sequere inquam ductum Patris Spiritualis, & sequere in rebus planè omnibus; qualiscunque demum ea res sit, quæ tibi ab illo præcipitur aut suadetur, sive bona sit, sive indifferens, ut Theologi loquuntur, modo in se peccati rationem non habeat, tu eam præcipienti aut suadenti, obtempera, neque errabis, sed obtemperando homini, obtemperabis ipsi Deo, & indubitatè Dei voluntatem perficies. Exempli causâ dubius hæres, an hæc habitatio, officiûmve tibi expediat, an aliud; Sisne vocatus ad hunc statum religiosum an ad alium; quæ poenitentiz opera à te suscipi debeant, quoties in Septimana gestandum cilicium, quot usurpandæ flagellationes, quoties Sacramentis Eucharistiz & poenitentiz utendum; Sisne hæc inspiratio interior à Deo, an à Diabolo; sitne hæc visio & revelatio à bono Spiritu, an à malo; Utrùm pecuniæ tuæ in rem hanc sacram, an in illam melius impendantur, in his inquam omnibus ad Patrem tuum spiritualem recurre, ejus vocem audi, accepta, & sequere, tanquam vocem ipsius Dei, quamdiu non suadet, quod legi divinæ repugnat. Christus enim Salvator noster Patres spirituales suo loco constituit, voluitque

que

que, ut obediendo illis, censeamur obedire ipsi Christo & eorum voluntatem facientes, facere voluntatem ipsiusmet Dei. An non clara sunt illa Christi verba: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* An non & clara sunt sanctorum Patrum testimonia hanc veritatem, ita & non aliter explicantium: *Obedientia, inquit S. Benedictus, quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur: ipse enim dicit: qui vos audit, me audit.* S. Bened. in Reg. *Non meâ Sponte, inquit S. Basilius, sed divinis litteris inductus affirmo obedientiam, quæ adversus homines antistites adhibetur, esse sicut illam quæ erga Deum ipsum adhibetur, & unam alteri assimilari cum Dominus Discipulis suis dixerit: qui vos audit me audit.* D. Basil. in Const. Monast. C. 23.

Quidquid vice Dei præcipit homo, inquit S. Bernardus, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. D. Bern. l. de præcepto & disc. Viden' quis sit Sanctorum hac in re sensus? quem tamen ipsi non solum verbis, sed exemplis etiam suis testatissima reliquere. Quotquot in Ecclesia fuere illustres animæ, alto Spiritu & excelsis cogitationibus Filiorum Dei imbutæ, cœcam illam obedientiam & subjectionem perfectam in rebus omnibus (si unum peccatum demas) non solum erga Superiores, sed etiam erga conscientiarum suarum arbitros & Spiritus mode-

moderatores ad unguem exercuere. Certe S. Ioannes Damascenus Seni, cui se regendum crediderat, in re quavis dicto audiens erat, uti in eius vita testatur Joannes Patriarcha Hierosolymitanus: & senex ipse cum primum Ioannem in curam susciperet, eum in cellam abducens, tanquam fundamentum subiicit: *ne quid suo arbitratu faceret.* S. Hugo Gratianopolitanus Episcopus, Consiliis D. Brunonis, cui in ædificanda Carthusia open tulerat, non secus ac paternis mandatis obediebat. Itaque cum vellet omnes equos suos vendere, & pretio pauperibus impertito, pedibus oves visitare, & in Evangelicam prædicationem discurrere S. Bruno cordatus vir, id penitus dissuasit, veritus ne vel singularitatis vel levitatis accusaretur; & Hugo Brunoni paruit. S. Carolus Borromæus, etsi Cardinalis R. E. & Archi-Episcopus Mediolanensis, & magnâ rerum humanarum atque Ecclesiasticarum experientiâ præditus, pro Duce tamen vitæ suæ Spiritualis, elegit primò Ioannem Baptistam Riberam, deinde Franciscum Adornum utrumque Presbyterum è Societate Iesu, & viros magnæ virtutis & doctrinæ, cum quibus ille indies consilia sua communicabat, & eorum nutui obtemperabat in omnibus. Ipse S. Pater Ignatius Societatis Iesu parens, à Sociis in Præpositum generalem ejusdem electus, nullis Sociorum suffra-

fra-

fragiis aut precibus, sed uno Confessarii sui F. Theodosij ad S. Petri in Janiculo Franciscani imperio persuasus est, ut injuncto officio cervicem subderet. *Bartholi in eius vita lib. 2. nn. 48.* Simili Spiritu fuere etiam imbutæ sexus alterius personæ, insigni & extraordinariâ vitæ sanctimoniâ exornatæ. S. Elisabetha Regis Hungariæ filia jussa est à Magistro Spirituali duas charissimas comites à se dimittere, quod privatam erga familiares affectionem vitæ Spirituali grande putaret esse impedimentum. *Jacob. Montan. in vita. c. 21. 19. Nov.* Paruit illa, non sine uberibus lacrymis utrimque profusis. S. Terefia jussa aliquando à quodam Confessario librum, quem scripserat in Cantica Salomonis, mirabili sapientiâ refertum, in flammis projecit. dicere solita: *Si omnes Angeli cælestes uniti, aliquid ei dicerent, & superior vel Confessarius aliud, quamvis sciret, eos esse Angelos bonos, non quod illi, sed quod Superior juberet, faceret; quia hoc est securius inquit, & qui sequitur, decipi non potest.*

Ecce hic est Spiritus illustrium Sanctorum & Sanctarum; Spiritus videlicet obedientiæ perfectæ, à quo quisquis ob rationes humanæ prudentiæ deviat, non ille ducitur Spiritu Dei, sed Mundi & Politico, quem pro dolor, animæ quædam sciolæ, magno suo dispendio, contra Scripturæ, Patrum, Sanctorum omnium sensum, ac doctrinam nimis quàm sæpè sequuntur. G, §. III.

§. III. *Qua sint præstanda adversus
Patrem Spiritualem?*

Superiorem & conscientia tua arbitrum ama, ut parentem filius. Sed id cave, ne amor illi se immisceat aliquid affectionis minus puræ & defæcatæ.

Eundem reverere, ut terrestrem aliquem angelum, imò talem, qui supplet vicem ipsius Dei. Mirus hac in re fuit S. Carolus Borromæus, qui teste Giussano adeò venerari solebat P. Franciscum Adornum è Societate Jesu, Confessarium ac Patrem Spiritualem suum, ut indies ei in eadem secum domo commoranti, lumen ipse ante lucem instar famuli deferret, & dormienti adhuc, intrans cubiculum ejus aut exiens, caput profundè inclinaret reverentiæ ergo, & eo quidem modo, quo Cardinales sibi invicem occurrentes reverentiam exhibere solent.

Accede illum frequenter veluti ad nutricem infans sæpè solet accurrere, sed in accessu illo nihil specta nisi solidum fructum spirituale.

Ubi cum conveneris, non tacitus obmutesce, nec expecta, usque dum variis interrogationibus ipse ex te eliciat, quid tibi desit, sed ultro ipse te eidem aperi, & consilium ejus avidè exquire. Aperies autem illi defectus & peccata in quæ lapsus es; tentationes, quas pateris; scrupulos & inquietudines animi, quæ te affligunt; opera pœnitent-

nitentia, quæ exerces; modum orandi quem servas; gratias & favores extraordinarios quos tibi Deus communicavit.

Si quid imperatur, noli rationes investigare, quæ Superiorem moverint ad imperandum, sed tibi sufficiat nosse id, quod præcipitur non esse peccatum, & Superiorem esse loco Dei. Ita te docet D. Cassianus: *Hoc præ omnibus excole, ut stultum te facias in hoc mundo, ut sis sapiens; nihil scilicet discernens, nihil dijudicans ex his, quæ tibi fuerint imperata, sed cum omni simplicitate & fide obedientiam semper exhibeas; Illud tantummodo Sanctum, illud utile, illud sapiens esse judicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel senioris examen indixerit.* Cass. lib. 4. c. 41. S. Ignatius Societatis Jesu Parens: *Statuatis vobiscum ipsi, quidquid Superior præcipit ipsius Dei præceptum esse & voluntatem, atque ut ad credenda, quæ Catholica fides proponit, toto animo assensuque vestro statim incumbitis: sic ad ea facienda, quæcûq; Superior dixerit cæco quodam impetu voluntatis parendi cupida sine ulla prorsus disquisitione feramini.*

In omnibus planè rebus esto indifferens, & quasi cera in manibus Patris tui Spiritualis, non desidera determinatè hoc præ illo, sed hoc age, ut idem omninò velis & nolis, quod ipse. & si desideres magna quædam facere, communicare crebrò, pœnitentijs gravibus te affligere, &c. atque de his Superio-

REM

rem consulueris, & ille, quod petebas negarit, acquiesce ocyus, & opera etiam maxima omitte, ad quæ impellebaris. Quid vis facere id, quod contra voluntatem Superioris, adeoque ipsius Dei est, & quod si feceris, nihil nisi purgatorium mereberis?

Noli agere clandestinis technis, multò minus importunâ violentiâ, ut tuam in Sententiam Superiorem pertrahas. *Quisquis vel aperte (verba sunt D. Bernardi) vel occulte satagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei Pater Spiritualis injungat, ipse se seducit, si fortè sibi de obedientiâ blandiatur. Neque enim in ea re ipse Prælato, sed magis ei Prælatus obedit.*

In omnibus obedi, licet illa non præcipiantur, sed aut verbis aut nutibus, aut solâ voluntatis significatione ordinentur. ita te monet D. Albertus: *Verus obediens nunquam præceptum expectet, sed solum voluntatem Prælati sciens vel credens, ferventer exequitur pro præcepto. exemplo Domini nostri Iesu Christi, cui voluntas & complacentiâ Patris summum præceptum fuit. Vide demum, ut obedientia tua sit velox, etiam literam inchoatam relinquendo imperfectam; sit fortis, nullos labores aut difficultates fugiendo; sit sedula, nihil negligendo, quod facit ad perfectionem operis imperati; sit constans imitando eâ in re Christum, qui factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis,*
IN.

INSTRUCTIO QUINTA.

*Traditur modus ad puritatem & castimoniam
Angelicam enitendi.*

Angelicam stude, mente & corpore puritatem æmulari, & hoc tuum sit symbolū, quod semper in corde, quod in ore, quod in omni actione tua præ te feras: *Malo mori, quam fœdari.* Angelus autem animo eris, si nullam in eo impuriorem imaginationem multò minùs desiderium patiare, sed si te impetat, sollicitè & celeriter repugnes, ne cordis tui pénétralia subeat.

Angelus eris ore, si omni studio caveas, ne unquam ex ore tuo ullum minùs pudicum probatumque verbulum elabatur, si vites teneros, effœminatos, delicatulos, & affectatos ridendi & loquendi modos; si sermonem abstineas, non modò ab omni re turpi; sed etiam naturali quâcunque minùs decenti.

Angelus demum eris in actionibus tuis, si in gestu & totius corporis compositione nihil se prodat, quod aliquam vel inverecundiam, vel levitatem, vel liberiolem ac præfidentiolem agendi modum sapiat. Atque hinc incessus tuus sit virilis & maturus, aspectus oculorum non sit nimium mollis, tener & gratiosus, multò minùs protervus & impudens. Arceantur oculi ab aspectu speciosorum hominum, etiam proprii corporis, etiam ab otiosâ contemplatione propria.

priarum manu um, sintne illæ elegantulæ, munda & benè proportionatæ: abstineantur manus ab omni attractu non modo impuro, sed etiam sensuali manus & faciei alterius. Dum te ad dormiendum componis, nulla pars corporis nuda appareat, & situs jacentis in lecto, sit talis, quem etiam in præsentia virorum gravium, si coram his necessariò jacendum esset, non erubesceres, vitæque omnem etiam ulnarum & brachiorum denudationem, non modò dum sanus, sed etiam dum æger decumbis. Conversatio tua, licet cum personis sanctis, nihil tamen habeat humanum aut minus puræ ac defæcatæ affectionis admixtum. Demum amore castitatis etiam mundus & pudicus sit vestitus tuus, munda cubicula & conclavia, ut nihil in illis sit inordinatum, nihil minus compositum, ut nunquam verecunderis si magnæ authoritatis vir ex improvise cubiculum ingrediatur. ne videlicet tum necesse sit, aliqua subito ex oculis amovere. Exterior hæc compositio & mundities, index sit & argumentum interioris. Quanto castior & purior eris, tanto majores habebunt delicias Jesus Maria & Angeli, ut tecum conversentur.

INSTRUCTIO SEXTA.

Declarantur actiões Paupertatis Christianæ & Religiosæ.

§. I. *Quæ paupertas quemvis Christianum deceat?*

Divitias nunquam procurare aut conservare stude per media illicita, & cum multâ cupiditate cordis, ac sollicitudine inordinatâ, ut propterea in iis, quæ bonum animæ concernunt, negligas.

Fœda sordities est & labes Christiano pectore indigna, si præclara & eximia opera sumptibus tuis præstare possis pro Dei gloriâ & animarum salute, eaque negligas, ne exiguo temporali lucro teipsum defraudes. Quam fœdum est Christum tuâ causâ cælum ipsum deseruisse, insuper & vitam & sanguinem impendisse tibi, & te adduci non posse, ut exiguam pecuniæ summam Christi causâ deseras, ejusque gloriæ impendas.

Laudabilis est etiam mos hominum secularium, qui alienæ curæ se vestiendos & pascendos comittunt. Sic Thomas Morus, hanc curam uni famulorum suorum demandârat, atque hunc Tutorem suum vocavit.

Moderationem serva in vestitu, cibo, suppellectile, & ædificiis, multò satius est, pecuniâ in pauperes, hoc est in Christum ipsum, quàm in pompam & ostentationem impendi.

Etsi habeas qui tibi serviant, in multis tamen rebus alterius obsequium non admittite, sed adsuesce, interdum tibi ipsi tanquam pauperem servire.

§. II.

§. II. *Quid perfecta paupertas exigat ab homine religioso.*

Gradus Paupertatis excellentissimus est divitias omnes non solo affectu, sed ipsa relinquere & à se abdicare in perpetuum. id scilicet fuit Christus: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* rectè item Gennadius. *Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare. melius est, pro intentione sequendi Dominum, insimul donare & absolutum sollicitudine agere cum Christo.*

Paupertas perfectissima est, si illam voto confirmes, & per promissionem Deo factam renunties omni dominio ac proprietati, quam habes in bona, quæ possides, aut adhuc possidere & acquirere posses.

Si autem Paupertatis voto te semel obstrinxeris, cave illud violes; violabis autem & graviter quidem, si rem magni momenti, qualis in materia furti sufficit ad mortale scelus, inscio vel invito superiore acceptes vel dones alteri.

Imò nec leviter violabis, sed in observatione ejus, non obligationem tantum tuam, sed perfectionem quoque exactissimam attendes, eamque assequi frudebis. & hinc.

In domo religiosa ubi Superior adest, nunquam quidquam, quantumvis leve, acceptabis aut dabis alteri sub rati habitatione, sed si impedimentum est Superiorè accedendi,
accep-

acceptationem & dationem differes. Nisi forte aliud singularis aliquis casus faciendum urgeret.

De vestibus & cibis, qualéscunq; demum fuerint, nunquam quereris; sed quo viliores, eò tibi gratiores erunt. Quàm multi fuère Sancti, qui nullis precibus artibusque impelli potuère, ut novis vestibus aut calceis se indui paterentur.

Absint à cubiculo tuo, quam diu sanus es, omnes cupediæ saccareæ, esculenta, quæ sunt pestes & venena non solum paupertatis, sed etiam temperantiæ religiosa.

Altariolum tuum nihil contineat nisi imagines chartaceas, unam Deiparæ statuam, & signum Christi è Cruce pendentis. Reliquiaria item non sint confecta, nisi ex materia vulgari.

Non habebis geminas forfices, unam pro musæo, alteram pro cubiculo. Similiter non habebis duo candelabra, emunctoria, atramentaria &c. Cave in usu tuo res multas consumas, unde abstinebis à Medicinis frequentibus & pretiosis: In ipso usu chartæ & pennarum habeatur ratio paupertatis; sanè P. Balthasar Alvarez exhortationes, quas faciebat, etsi magni essent momenti eas tamen non in munda charta, sed in operculis literarum scribebat.

In usu librorum & vestium serva munditiam, & ubi usus fueris, ocyùs suo loco repon-

repon-

reponere, ut & aliis seruire possint.

In itineribus non curabis tibi mensam nimis lautè instrui, sed ea solum fercula apparari, quæ exhaustis labore viæ viribus reparandis sufficiant.

Nemo de sensus illustrationibus & Spiritualibus consolationibus sibi blandiatur, nisi hilari vultu bolum Evangelicæ paupertatis deglutiat. Tunc autem deprehendet an illam amet, si ejus quoque Comites amet famem, sitim, frigus, contemptum, & in rebus etiam necessarijs defectum. Rectè D. Albertus: *Vbi est plena necessitas, ibi non est vera paupertas.* Christus in Cruce, nec frigidam siti, nec asserem vel saxum capiti supponendum habuit.

INSTRUCTIO SEPTIMA.

De perfecta Charitate Proximi.

Dilige proximum tuum sicut teipsum, sed dilige eum, in ordine ad vitam æternam, adeo ut totum, quod ei desideras & procuras bonum, eò tantum dirigatur, ut proximus in hac vita sit justus, & in alterâ beatus.

Amor verus non est mercenarius, sed à propriorum commodorum respectu omnino liber & purus: unde non amabis, ut iterum ameris, nec beneficies, ut vicissim bene fiat tibi, nec te ideo communicabis alteri, quia ex ejus conversatione gustum percipis: sed ideo præcisè amabis alterum, quia
sic

sic placitum est DEO & ab illo præceptum.

Vera charitas non consistit in lenociniis & blanditiis verborum & affectuum, sed in exhibitione operum. Unde si quem videris sive in temporalibus, sive in spiritualibus indigere operâ tuâ & succurrere negligis, cum potes, debitâ nondû charitate instructus es. *Qui habuerit, inquit D. Joannes, substantiam huius mundi & viderit fratrem suum necesse habere, & clausit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo 1. Joan. 3. v. 17.*

Juva igitur proximum consilio & re: sed vide ne in eo juvando vel latum unguem discedas ab lege Dei: sic noli mentiri, jurare falso, ut liberet proximum à morte: noli furari, ut des eleemosynam.

Gaude & gratulare de bonis proximi, de virtute, scientiâ, honore, opibus, gaude etiam si proximo melius sit quàm tibi, si tibi negetur, quod ipsi conceditur, si ille plus honoretur quàm tu.

Gaudium illud internum signis externis manifesta. Unde si proximus petat, honorabis eum præsentîâ tuâ, in nativitate filiorum, in sponsalibus, in missarum primitiis, in academicis inaugurationibus, in funeribus & exequiis. Nam & hæc sunt Christianæ Charitatis opera, & conformia exemplo Christi, suâ præsentîâ nuptias Canæ Galilææ condecorantis, modo fiant, sine respectu humano.

Com-

Compatere intimè miseris proximi, sive ex corporales sive spirituales sint. Nam verus amor aliena mala respicit, ut propria: cum fratres simus, & teneamur alios diligere uti nos ipsos.

In eleemosynis dandis esto non parcus, sed liberalis, non tardus sed velox. qui enim citò dat bis dat. Nec curiosè discute merita pauperum, tu enim quod das, das tibi eo.

Nec differ eleemosynas usque ad mortem, sed dum vivis, priva te illà voluptate, quæ capitur ex conservatione bonorum temporalium, ut ex eorundem profusione propter Deum factâ Deum oblectes. *Redime te bono dum vivis*, suadet D. Augustinus, *dum pretium in manibus habes; ne dum te mors amara prævenerit, & vitam simul & pretium perdas.*

Excitandus est ardentissimus zelus animarum, & studium hoc juvandi proximum maximi momenti esse firmiter sibi persuadendum est, etenim certum est, promotionem & curam salutis animarum divinæ Majestati magis placere, & majus illi gaudium adferre, maioremque te in cœlis gloriam & coronam per illam promereri, quàm per multa alia pietatis & devotionis exercitia. Audi hac super re differentem D. Chrylostomum: *Tu igitur mi frater quamvis fame conficiaris, quamvis cinerem comedas, quamvis semper lacrymis madeas, & nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis, & alio loco: Etsi*

ims-

immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam converteris animam Cum D. Chrysoſtomo consentit S. Gregorius Magnus: *Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum.* Cum utroque S. Dionysius Areopagita: *Omnium divinorum divinissimum est cooperari in salutem animarum.*

Quod si hanc SS. Patrum doctrinam ritè perpenderis, facile concludes, magis à te amplificari divinam gloriam, & majora te meritorum præmia collecturum juvando proximum, quàm orando, prællendo, jejunando & aliis pœnitentiæ operibus castigando corpus. Si ergo aliquod salutem animarum promovendæ congruum talentum concessum tibi esse deprehenderis, nè illud defodias.

Si aliud præstare obsequium in hoc genere nequis, frequenter ad Deum preces funde pro conversione gentium, reductione hæreticorum, peccatorum conversione. & sancta educatione puerorum, & præcipuè, ut Deus gratiam & necessaria auxilia imperiti dignetur omnibus illis, qui vi vocationis & professionis suæ hanc animarum curam exercere tenentur, ut officio suo cum laude & fructu fungantur.

Exemplo aliis ad omnem virtutem, perfectionem & sanctitatem præluceas, & ad imitationem Seraphici Francisci, exemplo
con-

concionare : esto instar templi Deo sacra-
 ti, in quo nihil nisi sanctum & majori Dei ho-
 nori dedicatum invenitur : esto facula instar
 ardentis & lucentis & sanctitatis suæ radios
 quaquaversum diffundentis : esto velut co-
 lumba balsamo aliisque odorem delibu-
 ta, quæ alias secum columbas in cœlesti
 columbarium alliciat.

Quod si autem ex officio tibi incumbit
 animarum cura, esto in conversatione non
 asper & morosus, sed placidus ac dulcis, &
 ad cuiusque mores & naturam te accommo-
 da, ut omnes Christo lucrifacias.

Pro animarum lucro nulla pericula, nul-
 las difficultates, nullos labores, nullas pœ-
 nitentias, nec mortem ipsam metue. oportet
 in doloribus & angustiis animas parturi-
 re Christo.

INSTRUCTIO VIII.

De cultu & veneratione Sanctorum, & fes-
 torum illis consecratorum.

§. I. *Documenta quadam incultu dierum
 festorum observanda.*

AD dies anni solemniore si ritè te cupis
 præparare, & tam sancta tempora sanctè
 ac devotè celebrare, imprimis omni studio
 & sollicitudine conniti debes, ut etiam le-
 vissimas noxas quàm diligentissimè caveas,
 & maximâ quâ potes, animum tuum exor-
 nes & condecres conscientie puritate, quâ
 & Deus & omnes sancti suavissimè recrean-

tur & afficiuntur. Deinde circa ejuſmodi dies accuratiſſimè obſervare ſtudeas præſcriptam temporis rationem & ordinem diei, & conſuetæ pietatis exercitia, aliâque quotidiana opera, ut preces matutinas, meditationem, examina &c. ſolito perfectiùs peragere. Nemo enim prudens ibit inficias, magis Deo placere & Sanctis eius, Si quis conſuetas illas occupationes quàm perfectiſſimè obeat, quàm ſi neglectis illis, ſingularibus quibuſdam devotiunculis adhæreat. Hic locum habet tritum illud: *Vnum oportet facere, & alterum non omittere.* Tertio, ſi quid extra ordinem circa ejuſmodi dies ſacratiores moleſtiæ vel adverſitatis occurrat, ut ſi injuriâ aliquâ vel contumelioſis verbis laceſſerêris à proximo tuo, id non æquo tantum, ſed hilari etiam animo ſuſcipe, & dona illud atque offer Jeſu tuo, dilectiſſimæ Mariæ eius, aut Divo, cui dies ſacer iſtat, dicendo: *Mi Jeſu, tibi hoc offero, tibi dono: amore tui non ulciſcar, non par pari referam, ſed bolum hunc letus devorabo.* Et poſtquam ſemel illatam tibi injuriam donasti Chriſto, perpetuâ ſepeliri debet oblivione, nec unquam aut recolendo, aut quod deterius, obmurmurando repeti atque ita ſpirituale quodammodo furtum committi. Quarto, in operibus humilitatis & charitatis erga proximum diligentius te exerce, viſitando v.g. infirmum aliquem, largiorem dando elee-

moſy.

mosynam. assumendo spontaneam aliquam
 tui ipsius confusionem. Quintò plus aliquid
 jejunii aut castigationis corporis aut pietatis
 assumi potest cum consensu tamen & ap-
 probatione Confessarii. Sextò: amà secre-
 tum, solitudinem & silentium, institutâ bre-
 vi aliquâ recollectione, & relege concepta
 aliàs proposita, quæ si te observasse atque
 complexisse deprehenderis, agè Deo gratias
 dicendo ad singula, aut *Deo gratias*, aut *Glo-
 ria Patri* &c. sin minus, dole, veniam preca-
 re, emendationem sponde t & per merita
 Sancti, cujus celebritas agitur, gratiam à
 Deo postula id præstandi. Septimò, sæpius
 per diem protestare, tot v. g. vicibus, quot
 annis vixit in terris Divus ille, quòd in eius
 gratiam & honorem certum aliquod vitium
 in quod sæpius labi consuevisti, emendare
 deinceps velis & diligentius cavere, præci-
 puè, ne facile contra alios murmures, aut
 temere eos judices & similia, ex quibus ve-
 lut malâ radice plures propullulare solent
 imperfectiones. Octavò, sæpius Deum ro-
 ga per merita & intercessionem Sancti illius,
 ut eam tibi virtutem infundere dignetur, in
 quâ Divus ille maximè excelluit, quod fieri
 opportunissimè potest in colloquiis medita-
 tionis, in sacro post elevationem, & sub com-
 munionem, ac denique in fine examinum.
 Nonò, consueta lectio spiritualis & medita-
 tio institui possunt, de vitâ istius Sancti. De-
 cimo,

cimo,

Undecimò, crebrò age summo & æterno Deo gratias pro omnibus beneficiis Sancto illi concessis. Undecimò, ipso festo Sancti & per octavam assuesce orare hymnum, antiphonam, versiculum & orationem, quæ festo illi conveniat.

§. II. Devotiones tempori adventus & natali Domini pie celebrando accommodatæ.

Exemplo Japonici Martyris Caroli Spinolæ in memoriam & honorem novem mensium, quibus castissimis ac sanctissimis Matris suæ visceribus clausus delituit, novies devotè recita orationem Dominicam & salutationem angelicam, recolendo ad singulas, specialem aliquam gratiam & prærogativam, quas gratissimus puer pro impensis sibi per novem menses obsequiis Matris suæ impertivit, quarum 1. est Maria vera & genuina est Mater Dei, pete ut & tu Dei Mater fias, perfectè implendo, & perficiendo voluntatem Dei, juxta illud: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cælis est, ipse meus frater, soror ac Mater est.* 2. Maria simul & Virgo & Mater est. pete abundantiam bonorum operum cum summâ animi puritate. 3. Maria novem mensium spatio in utero suo gestavit filiolum suum absque ullâ molestiâ vel onere. pete, ut *jugum Domini tibi suave ac leve sit.* 4. Maria sinè dolore peperit. pete, ut omnia bona proposita cum læ-

civā victoriā occurrentium difficultatum, opere perficias. 5. Maria incomprehensibilem utero suo comprehendit, utinam & tu ad recipienda omnis generis dona supernaturalia & gratias divinas idoneus & capax efficiaris. 6. Maria purissimum templum est Jesu Summi Pontificis, faxit Deus ut & anima tua semper eiusmodi templum inveniat. 7. Maria penurarium est in quo repositum manna coeleste, age, ut tu dignè semper ad sacrum epulum accedas. 8. Maria purissimum vellus est, quo secundus Adam convestitur, & tu ad Mariam accurre tanquam ad Matrem viventium, & in eius te sinu absconde. 9. Maria Virgineus paradus est secundi Adami, utinam & anima tua hortus foret ab omni lolio & zizaniis expurgatus.

Sub noctem natalis Domini ante structum alicubi praelepe devotè procumbe, & ante omnia reverenter adora Christum Dominum tuum, *puerulum Bethlemiticum* quo ipsum nomine compellare solitus est S. Franciscus Seraphicus. Adora autem ipsum talem, qualis est, videlicet *tanquam exemplar & formam virtutum omnium, tanquam lucem mundi, tanquam viam, veritatem & vitam, tanquam optimum amicum tuum fratrem tuum, Principem, Ducem, Magistrum, Legislatorem, Redemptorem, Patronum & mediatorum apud Patrem suum, tanquam paucum, qui*

de cælo descendit: tanquam agnum, qui sustulit peccata mundi, tanquam signum, cui contradicetur: tanquam Regem Regum & Dominum dominantium ac Iudicem vivorum & mortuorum: tanquam Deum fortem, Deum vivum & verum, Deum de Deo, unius cum Patre substantiæ & nature. Singulos hosce titulos maturè perpendens adora recens natum puerulum, & teipsum totum illi offer, & speciatim si quæ emisisti, vota tua, ac propositum firmum & efficax nunquam peccandi lethaliter, & venialia etiam peccata atque imperfectiones omnes diligentissimè cavendi: semper eligendi quod perfectius est, & ex duobus æquè perfectis id, quod vilius & molestius: cœcè & simpliciter Superioribus omnibus obsequendi, nunquam ex respectu humano aut mali aliquid perpetrandi, aut boni omittendi: æquo ac hilari animo & citra omnem querelam perferendi quascunque illatas injurias & immixtas undecunque adversitates, diligendi inimicos omnes, adversarios & persecutores suos. Atque hinc.

II. Velut mendicus eleemosynam spiritualem petes ab opulento & divite puerulo, videlicet, remissionem plenam peccatorum tuorum, sanctitatem vitæ, constantem & continuum progressum in via virtutis & perfectionis, commendabis quoque ipsi universam Ecclesiam, ordines religiosos, Ma-

gistratum Ecclesiasticum & sæcularem atque omnes Superiores tuos: hæreticos, impios, justos, animas purgatorii.

III. Age gratias cœlesti & æterno Patri, quod humanitatem recens nati filii sui tot ac tantis donis exornarit: Spiritui Sancto, quod Beatissimæ Virgini obumbrâit atque ita opus redemptionis humanæ promoverit: ipsi infantulo, quod humanâ se carne induerit, factus pro nobis mortalis: Sanctissimæ Matri, quod Jesum Redemptorem ac servatorem nostrum mundo protulerit: Sancto Josepho, quod nato puerulo tam sedulus ministrârit: Divis Angelis, quod Jesum laudibus suis celebrârint, & pastorebus annuntiârint; Pastoribus, quod primi ipsi natum pro nobis Deum agnoverint & adorârint. Denique pium commiserationis affectum in te excita ergâ tenellum infantulum. qui jam tum pro te gravissimo peccatore pati incipit, & multo adhuc graviora in omnibus sanctissimis membris suis toleraturus est, ea proinde maximâ quâ potes devotione, & cordis affectu venerabundus exosculare.

§. III. Devotiones quadragesimæ & hebdomadæ Sanctæ servientes.

I SI præcepto jeiunii teneris, strictè serva, quicquid Ecclesia circa jeiunium præcipit, & in hoc imitare viros pios & timorata conscientia, & nequaquam eos qui uti

ix

in multis aliis rebus ita & in jeiunando nimis laxi & remissi sunt. Si vero ratione ætatis ad jeiunandum nondum obligatus es, nihilominus semel atque iterum ex Consilio & consensu Patris tui Spiritualis, præcepto Ecclesiæ, de jeiunio, te accommoda.

II. Quotidie quinquies Pater & Ave expansis brachiis recita in honorem quinque Sacratissimorum vulnerum Redemptoris tui.

III. Quotidianæ aspirationes & precatiunculæ jaculatoriæ sint: *Iesu crucifixe, miserere mei; Iesu, in sacratissima vulnera tua commendo corpus & animam meam: Quis mihi det, ut moriar pro te, mi Iesu, ex amore tui, sicut tu pro me ex amore mei mori dignatus es? O quando nihil sciam, nihil amabo aliud, nisi Iesum meum crucifixum? &c.*

IV. Sæpius devotè, oculos defige in imaginem Christi pendentis è cruce, & in devotione ejusmodi ac blando obtutu diutius hære defixus, alias arrepto crucifixo exosculare stigmata vulnerum Christi tui, incipiendo à vulnere sinistri pedis, & desinendo in amabilissimi cordis aperturâ, & ad singula oscula singulas petendo gratias aut virtutes v.g. *Rogo te mi Iesu per preciosissimum Sanguinem tuum, quem pro me effudisti ex sinistri pedis tui vulnere, miserere mei & concede mihi &c.*

V. Die Veneris sancto ante erectum alicubi sepulchrum Domini, te in genua pro-

volve, & cum devotione, cruentata & mi-
 ferrimis modis afflicta Christi Servatoris tui
 membra & artus contemplare, & 1. perpen-
 de, quos cruciatus ipse in singulis suis mem-
 bris à principio vitæ ad finem usque pertu-
 lerit: age gratias, sauciatum Domini tui cor-
 pus quàm pientissimè ac reverentissimè dis-
 suavia. 2. defle peccata & scelera tua, quæ
 in causa fuerunt, ob quàm innocentissimus
 Jesus tam miserè ac crudeliter tractatus est.
 pete remissionem eorum & propone emen-
 dationem. 3. Vicissim te offer ad omnia dura
 & dura amore ejusdem exorbenda. 4. opta
 exemplo Jesu & tuam profundere vitam in
 statu gratiæ, in gentibus meritis, cum mul-
 tarum animarum lucro, citrà ullam obliga-
 tionem pœnæ alicuius adhuc subeundæ in
 flammis piacularibus, quin potius relin-
 quendo multos & copiosos bonorum ope-
 rum fructus in thesauro Ecclesiæ, cum opti-
 mo vitæ & virtutis exemplo, quod etiam
 post mortem tuam multi intuentes ad imi-
 tationis, perfectionis ac sanctitatis studium
 & Dei amorem accendantur & inflammen-
 tur.

VI. Quotidiè decurre coronam B. Virgi-
 nis recolendo sub ea mysteria dolorosa: si-
 militer indies aut sæpius saltem in hebdo-
 mada recita officium parvum de S. Cruce, li-
 tanyas de passione Domini, vel officium de
 eadem compositum à S. Bonaventura. Nec
 me.

meditare tantum ac lege hoc tempore historiam patientis Christi, sed etiam sicubi occasio tulerit, libenter cum aliis de eadem colloquere, ac denique solito crebrius ac devotius frequenter sacram exomologesin & sinaxin.

§. IV. *Quid circa Pascha, Pentecosten & festum Corporis Christi prastandum.*

I. Die sacro Paschæ Resurgentem & postliminio in terram revertentem Dominum tuum modo quo potes optimo excipe. adora ipsum tanquam Deum æternum, Conditorem Cœli & terræ: Venerare & deprecanda divinas perfectiones eius, sapientiam, potentiam, bonitatem &c. magnifica & exalta ipsum velut liberalissimum redemptorem tuum, qui totum suum sanguinem pro te redimendo profunderet, cum unica guttula pro mille etiam mundis redimendis abunde suffecisset. gratulare ipsi gloriam corporis eius, gaude & exulta quod ipse sit Summus Rex, sacerdos &c. quod ex passione & cruciatibus eius tantus tamque multiplex fructus redundarit in cœlum & in terram: quod jam duobus stipatus choris hominum & Angelorum victoriosus incedat in terris. Offer ipsi exteriores sensus & interiores facultates ac vires animæ tuæ & præcipuè voluntatem nunquam delinquendi lethalius, modo, quo sup. pag. ac denique tuas & cæterorum omnium necessitates in

gloriosissima eius vulnera committe.

II. In solemnitatibus Pentecostes omni studio collaborare te oportet, ut cor tuum mundum sit, humile, pœnitens & ardens, in eiusmodi enim & non aliud venire Spiritus Sanctus delectatur: Præterea quotidie recita hymnum: *Veni creator Spiritus &c* vel *veni Sancte Spiritus & emitte cœlitus &c*. perfolvi etiam quotidie per totam octavam possunt Litania & Officium de Spiritu Sancto, ac denique crebrò per diem ferventer erumpe in has vel similes aspiratiunculas: *Confirma me Domine Spiritu efficaci & potenti. Cor mundum crea in me Deus & spiritum re-ctum innova in visceribus meis.*

III. In festivitate corporis Christi sapiùs per diem reverenter & devotè invise & saluta Dominum tuum in sacra Eucharistia reconditum velut Sponsum tuum prospicientem per cancellos, illum etiam in Ecclesia locum elige, ex quo tibi liberior detur eius intuendi facultas: in honorem & reverentiam Sacratissimi huius mysterii strictius observa leges silentii: ad horæ sonitum, devotè recita oratiunculam illam: *Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tue memoriam reliquisti, tribue qua sumus ita nos corporis & sanguinis tui mysteria venerari, ut fructum eius ingiter in nobis sentiamus, Qui vivis & regnas &c.* Consueta aspiratio tua, quam æntidem ingemines, sit: *benedictum sit Sa-*
cro-

rosanctum ac venerabile altaris Sacramentum.
Terminum quot diebus scilicet, mane,
sub meridiem, ac vesperi in genua procum-
be & ad quatuor mundi plagas conversus
breviter ac ferventer pete 1. Veniam pecca-
torum illorum, quæ contra reverentiam
sacrofancti istius Sacramenti in illâ mundi
plagâ committuntur: 2. Age gratias pro om-
nibus beneficiis virtute ejusdem mysterii
tam vivis quàm defunctis concessis. 3. Com-
menda Servatori tuo in sacra Eucharistia
præsenti omnes totius Ecclesie vivorum &
mortuorum necessitates spirituales & cor-
porales, sed præcipuè tuas proprias.

INSTRUCTIO NONA.

De cultu & amore Deiparæ.

Certò tibi persuade, & firmissimè imprime
animis omnium, quoscunque in viam
perfectionis dirigis, efficacissimum ac po-
tentissimum esse medium ad consequen-
dum non vulgarem sanctitatis gradum, spe-
ciali devotionis affectu ferri in gloriosissi-
mam Coeli Reginam & tenero quodam a-
moris igne succensum erga benignissimam
illam Matrem pectus gerere. Hæc etenim
Mater auream clavem gerit cordis filii sui,
in quo reconditi sunt omnes donorum cœ-
lestium & divinorum gazæ & thesauri. Po-
test nos juvare, quia patrocinio suo omnia
potest pud Filium, qui nos omnia habere
vult per MARIAM; vult juvare, quia di-
ligen-

ligentes se diligit: ac proinde, quæcunque te infestet tentatio, quamcunque consequi desideras virtutem, securus confuge ad **MARIAM**, hæc tibi instar sollicitæ Matris gratiam efficacem procurabit, quâ & de tentatione triumphare, & virtutem desideratam adipisci, queas.

Firmiter apud animum tuum constitue, nihil unquam postulare aut impetrare à Christo nisi per Virgineam Matrem eius. Nonne abjectissimus terræ vermiculus es? nunquid sordidissimus homuncio omnis generis sceleribus contaminatus & conspurcatus? quâ igitur fronte ad Jesum, idest, ad Deum excelsum & magnum super omnes Deos, immediatè audebis accedere? quocirca, sicut apud magnum Cœlestem Patrem mediator tuus est Christus, ita apud filium patrona & advocata sit **MARIA**: multò acceptius erit ipsi, quod per manus dilectissimæ Matris, quàm quod per tuas offeretur: arctius etiam ipsam humanissimam tibi Matrem obstringes, quòd donum nullum cœleste, nisi per ipsam tibi obvenire velis.

Nullum opus perages, in quo non singularis aliquis devotionis & amoris erga Deiparam affectus elucescat. Manè cum primum è somno evigilas, prima tua verba sint: *Jesus, Maria: inter induendum ter ingenitina: Benedicta tu, ò Maria, inter mulieres & benedictus fructus ventris tui Jesus.* Cuius-
ten-

tentionem matutinam ad honorem certi a-
licuius Sancti dirigit, simul eundem roga,
ut ipse oblata sibi opera Magnæ Matri Mater
Filio, Filius Patri repræsentare dignetur. In-
ter consuetas orationes matutinas sit etiam
illa, quâ te virgini Matri commendes, à S.
Francisco usurpata: *ô Domina mea S. Maria*
&c. quam vide in pane Parvulorum per-
solutis precibus matutinis pete ab hac
Matre benedictionem in totum illum diem.
Cum ad meditandum te accingis, unum pas-
sum progredere ad honorem MARIÆ, &
ante iconem eius inclinato profundius Ca-
pite in genua te prosterne: Unum colloquio-
rum semper ad hanc Virginem dirige: quo-
tiescunque novum de die opus inchoas, eam
primum invoca eiusque benedictionem ex-
posce: in examine gratiarum actionem,
Cantico Virginis: *Magnificat* absolve: gra-
tiam defectus agnoscendi implora dictâ sa-
lutatione Angelicâ: veniam & remissionem
per eiusdem Matris merita deposce. Cum ad
menlam accedis, tacitus protestare: *Edam*
& *bibam ad honorem Dei Virginis Matris eius;*
postquam accubuisti, semel recita saluta-
tionem angelicam ad honorem immaculatæ
conceptionis illius, ut de sensualitate inter-
edendum & bibendum triumphare possis:
quoties bibis, tacitus illi haustum propina:
quoties panem scindis, & illius honori fru-
sillum consecra. Cum ad pœnitentiæ tribu-
nal

nal te sistis, brevem illam & generalem accusationis formulam nunquam omitte: *Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariae semper Virgini, omnibus Sanctis & tibi Pater &c.* propterea, quod in ea piæ ac magnæ Matris illius mentio fiat. Cum divinæ ac cœlesti mentis accumbis, eâ refectus cum Christo colloquium institue, sed ita, ut mox ad Matrem tuam refugias, & quod filio proposuisti, Matri commendes, ut per Mariam consequaris, quod à Jesu impetrare, non es dignus. Cum juxta superius præscripta, circa modum examinis particularis, certos virtutum actus elicis, primum quidem ad Jesum, at mox alterum ad Mariam dirige; Nam sicut ipsa vult, ut in amore solus sibi Iesus præferatur; ita vicissim vult Jesus, ut proximas post se in amore partes Maria teneat: nulla acerbior separatio quam amantium. Omnibus actionibus tuis, Concioni, doctiori, confabulationi, labori semper admisceatur amor & Memoria Mariæ. Ut verbo complectar, ex omni loco, omni occasione velut sedula & irrequieta apicula suavissimum amoris Mariani mel exugere conaberis: Nec plura adicio, cætera te amor ipse velut optimus & ingeniosissimus Magister edocebit.

Veneratione peculiari prosequere nomen Mariæ, & dum horæ sonitum audis, devotè recita salutationem, Angelicam, & ad Sanctum

etum

Stum nomen eius aut caput detege aut corpus inclina, aliudve reverentia signum exhibe, ac quoties novam paginam scribendo incipis, in fronte nomen Jesu ac Mariae consigna. Cum calamus paras, prima, quae illo exares verba, Jesus & Maria sunt. Sapius, sed reverenter ac devote dulcissimum illud nomen pronuncia: Illo ipso mane ac vespere pectus tuum muni tanquam tutissimo adversus omnes insultus Daemonis clypeo vel loricâ.

Simili devotione & honore prosequere Deiparae imagines & simulacra. Certam habeas iconem eius, quam singulari semper pietate colas: hanc millies & millies dissuavia, incipiendo à pedibus & inde ad Sanctissimam faciem progrediendo: ante hanc in genua prostratus omnes tuas preces quantum fas est, persolve. In necessitate vel angustiis constitutus eas schedulae commissas ad pedes eius depone: Cum in itinere versaris, eam velut altare domesticum circumfer: tempore verno atque aetivo floribus & fertis exorna, & quos semel ei consecrasti flosculos, eos nunquam olfaciendi causa naribus deinceps admove. Operæ quoque precium erit in quatuor cubiculi angulis Deiparae imaginem figere, ut quocumque te vertas, semper illa in oculos atque animum incurrat, praecipue autem cubiculi foribus, intrando exeundoque post sum-

I ptam

ptam aquam Iustralem osculum eidem delibare. Quod si fortè fortuna abjectam humi eiusdem Divæ imagunculam reperires quantumvis vilem, laceram ac sordidam, reverenter & cum basio tolle, ac loco honestiore repone. Nunquam etiam expositum publicè alicubi magnæ istius Matris simulacrum præteribis, quin argumentum aliquod honoris & reverentiæ ostentes.

Dies Virgini huic sacros devotione quâ potes maximâ celebrabis: pridiano eos jejuniò præveni, & per fugam solertiores omnium defectuum, frequentationem ætuum virtutum ipsi magis acceptarum, & operum humilitatis & pœnitentiæ amore ipsius susceptorum ad eos dies te præpara; ipsis verò diebus sacro Eucharistiæ epulo reficere, quid enim aut potius aut gratius magnæ illi ac piæ Matri donare poteris, quàm proprium ipsius ac dilectissimum filium Jesum? reliquum verò diei tacendo, precando, legendis libris spiritualibus, audiendo verba Dei & piè colloquendo consume.

Statas habeto precatiunculas, quas quotidie in Deiparæ honorem decurras, ante omnes alias verò rosarium, in quo persolvendo ad tres primas salutationes angelicas saluta illam tanquam filiam æterni Patris, Matrem filij, & sponsam Spiritus Sancti, ad decem reliquas singularum decadam cōsidera eandem. 1. Ut Reginam Angelorum.
2. Spem

2. Spem Patriarcharum. 3. Illuminatricem Prophetarum. 4. Magistram Apostolorum. 5. Principem ac primipilam Martyrum. 6. Decus & ornamentum Confess. 7. Virginem Virginum. 8. Exemplar viduarum. 9. Speculū amoris Conjugalis. 10. Reginam Sanctorum omnium. Ad singulas item salutationes certam deposce virtutem, ut. 1. Ingentem & eximium erga Deum, Jesum, & Mariam amorem. 2. Firmam in Deo fiduciam in quibuscunque necessitatibus & angustijs. 3. Claram notitiam articulorum fidei. 4. Zelum ardentem gloriæ Dei & salutis proximorum. 5. Animi fortitudinem excelsam in adversitatibus. 6. Cor pœnitens & humile. 7. summam animi puritatem. 8. Donum orationis, silentii & solitudinis. 9. Caritatem erga proximum. 10. Denique plenitudinem omnium virtutum & totius sanctitatis & in omni bono perseverantiam usque ad mortem. Aliàs devolvendo globulos tuos precatorios loco salutationum angelicarum aliam affectu plenam sententiam devotè pronuncia v. g. *o Sanctissima Virgo Maria Mater Dei, ora pro me Iesum. vel Mater admirabilis, ora pro me. vel Tuus ego sum o Maria, tu mea es in eternum. &c.* Quotidie quoque si ullo modo per occupationes licet, persolve officium B. V. parvum, & quod est de immaculata eius conceptione, cum Litanis Lauretanis.

Magnam semper & eximiam concipe de Beatissima Virgine & omnibus ad eam spectantibus existimationem, ita cum viris sanctissimis atque doctissimis certo tibi persuadeas, eam jam ab utero Matris usu rationis præditam fuisse: magnitudine & multitudine meritorum & gratiæ antecedere omnes simul & homines & Angelos &c. & præcipuè, sine ulla noxa originali immaculatissimè conceptam fuisse. Pro hac ultima veritate & vitam ac sanguinem profunderè paratus esto, & ad eius propugnationem voto aut juramento te obstringe, sed non citra consensum & approbationem Conscientiæ tuæ directoris.

Quotidie quasi in scena aliqua personam age mendici, qui ante fores potentissimæ atque opulentissimæ Regiæ ac clementissimæ Dominiæ suæ propositis necessitatibus suis stipem atque eleemosynam petat. 1. Itaque actum amoris intensissimum elice erga amabilissimam Virginem & gratulare ipsam de omnibus prærogativis & privilegiis eius
 2. Gratias age pro omnibus beneficiis hæctenus ab ipsâ in te copiosissimè profusis.
 3. Recense ac propone necessitates ac miseria tuas, & à Matre Misericordiæ maternam opem & subsidium implora, ut defectus omnes & imperfectiones corrigere, & in virtutibus provehi possis. ubi & hoc observa, ut congruentes virtutibus, quas postulas, honoras

norum titulos, quibus eam compelles, usurpare noveris: v. g. *O Regina demississima, omnis humilitatis forma & exemplar, nosti superbiam & arrogantiam meam, impetra igitur mihi apud dilectissimum filium tuum profundissimam humilitatem cordis &c.* 4. Nominatim eidem *Dominæ* commenda omnes dilectos tibi amicos. 5. Praxi huic & devotioni finem imponat precatiuncula illa: *Sub tuum præsidium &c.*

Cùm pro defunctis oraveris, illi animæ potissimum succurrere intende, quam per preces tuas juvari maximè optat *Beatissima Virgo*. Simile quid præsta, cùm pro conversione peccatorum, infidelium, hæreticorum pias ad Deum preces fundis, ut illi potissimum ad meliorem frugem redeant, quorum salus maximè curæ & cordi est *Deiparæ Virgini*.

Denique satis tibi non erit, quod tu ipse quotidie crelcas in amore ac devotione erga gloriosissimam illam *Cœli Reginam*, sed & in aliis eandem pro viribus promovere & amplificare studeas docendo, concionando, scribendo, loquendo, exemplo aliis prælucendo & quibuscunque aliis modis potes. Facem te esse oportet, quæ & amore *Mariæ* inardescendo consumatur, & aliorum omnium animos eodem igne inflammet. Ita faxit benignissimus Deus.

INSTRUCTIO DECIMA.

De Fide, Spe, & Charitate in Deum.

§. I. *Quæ sint actiones Fidei perfectæ.*

Supponenda est imprimis definitio fidei, quæ aliud nihil est, quàm virtus quædam intellectualis Theologica, quâ assentimur mysteriis revelatis propter auctoritatem Dei revelantis.

Magnâ simplicitate captiva intellectum in obsequium fidei, quoad omnes veritates Christianas præcipuè difficiliores, v.g. Sanctissimæ Trinitatis, Eucharistiæ, resurrectionis corporum &c. Atque interdum fusius, interdum brevius circa hæc mysteria actus fidei elicitio.

Sæpius & singulari cum mentis gustu assuece recitare symbolum Apostolicum, Nicænum, S. Athanasij, item Professionem fidei ex mente Concilij Tridentini, quam tibi quoque prælegi curabis, si fortè in morbum aliquem incideris.

Quotiescûmque actio aliqua est inchoanda, exerceatur fides, maximè circa ubique præsentem Deum.

Ama singulariter Martyres, qui pro Christi fide sanguinem suum fuderunt & pete à Deo sæpius, ut & tibi detur pro fide mori & si necesse sit fidem tuam reipsâ profiteri, loquere de testimoniis Dei in conspectu Regum etsi mortem minantium, & nolito confundi.

Ex

Exhorre omne id, quod hæresin sapit. unde summo studio fugies hæreticorū confortia, cōciones, libros. Tali horrore tenebatur S. Antonius de quo sic: S. Athanas. *Manichæis aut aliis hæreticis nunquam saltem amicabilia verba largitus est, denunciāns talium amicitiam atq; sermones perditionem esse animæ.* Sic etiam Arianos detestabatur, ut omnibus diceret, ne juxta quidem eos esse accedendum. Et ipse jam moriturus: *Hæreticorum, inquit, & Schismaticorum venena vitæ, meumque circa eos odium sectamini.* Scitis ipsi, quod nullus mihi nec pacificus quidem sermo cum eis unquā fuerit. Verba scripturæ sacræ, summā semper reverentiā excipe, & eadem ad res ludicras, aut minùs puras nunquam detorque. Avertere omnem doctrinam minùs tutam, & sensui Patrum & Ecclesiæ minùs conformem.

Cogitationes dubias in materia fidei, te impugnantes ocyùs exclude, & si molestiores tibi accidunt, relege motiva credibilitatis in pane parvulorum exposita, & his nutantem animum corrobora.

Ede professionem fidei, & jurejurando confirma, fidei Romanæ Catholicæ in omnibus planè articulis usque ad vitæ finem te constanter adhæsurum.

§. II. *Quomodo sperandum sit in Deo.*

Firmiter spera, consecuturum te à Deo salutem æternam: habemus enim bonum Dominum, qui salvare nos velit & deside-

ret; potentem qui possit omnia; fidelem, qui salutem nobis promisit, & quod promisit infallibiliter seruet; habemus etiam Advocatum apud Patrem, Christum justum, cujus infinita merita pro nobis supplicant; Habemus denique Cœli Reginam Matrem misericordiæ, & tot Sanctorum millia, qui suis nos precibus adjuvant. Et de salute tua tu adhuc dubitas? modicæ fidei quare dubitasti.

Sperari debet non solum vita æterna, sed etiam quidquid ad eam obtinendam tibi necessarium est, uti sunt remissio peccatorum, gratia & virtutes.

Unde postquam peccata confessus es, noli esse dubius aut anxius, an ea sint remissa. Similiter noli esse anxius aut diffidens de emendatione peccatorum in futurum: Sed centies si laboris, centies resurge. Homo es, non Angelus, & licet magna sit fragilitas tua, major tamen est Dei potentia & bonitas. Omnes itaque cogitationes, quæ in te minuere incipient fiduciam erga Deum, & ingenerare pusillanimitatem ac tristitiam cor constringentem, tanquam blasphemias rejice. E contrario illas fove, quæ tibi addunt animum, & lætitiâ in obsequio Dei, & spem erga Dominum Deum augent.

Dum quid moliris pro Dei gloria, etsi multa sinistra interveniant, tu tamen animo non cades, sed semper illud Abrahæ Patriarchæ

archæ

archæ usurpabis : *Deus providebit.* Genes. 22. v. 8. Crede mihi, miras habet divina Providentia vias, quibus conatus suorum ad exitum felicem perducatur. Unde audi monentem Prophetam : *Viriliter agite & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* Psal. 30. v. ult.

Liberè in omnia peccata prouere, & tamen de salute sua velle confidere, non est spes, sed temeritas. *Beneplacitum est Domino,* inquit Psalmista, *at super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Oportet cum D. Magdalena utrumque pedem amplecti, pedem inquam iustitiæ, & pedem misericordiæ. & si illa te terret, hæc te erigat.

Si quid in precibus à Deo postulas, nihil dubita te impetraturum, modò quod postulas, tuæ salutis & divinæ gloriæ conducat.

Præclarè D. Chrysoströmus : *Si cum hoc studio mentis accesseris, & dixeris : Nisi accipero, non recedam, prorsus accipies : si modo talia postulaveris, quæ & illum, qui rogatur, dare deceat, & accipere tibi, qui precaris, expediat.* Chrysostr. hom. 14. in Matth.

§. III. *Declarantur actus interni externiq; perfecti amoris erga Deum.*

Bene apprehende quid sit purus & perfectus amor erga Deum, quæ ita describit D. Augustinus : *Charitas est virtus conjungens nos Deo quâ ipsū diligimus, diligimus in quâ pro-*

pter seipsum. S. August. l. 6. de mor. Eccles. c. 11.

In omnibus igitur operibus tuis sincerissimâ intentione procedes, eâque perages non ex timore pœnæ, nam id faciunt servi & mancipia; nec spe præmij, ne videaris velle esse mercenarius: sed ex puro Dei amore & studio eidem placendi. quod est munus filiorum ingenuorum, qui obsequuntur etiam parentibus egenis, quamvis nullam ab his hæreditatem expectent. Imò Sanctus Bernardus putat amorem filij nondum esse sat purum, ob spem aliquam hæreditatis adhuc mixtam, hinc vult nos amare Deum uti sponsa amat sponsum.

Purissima intentio erit, si quod facis, non ideo facis, ut propterea tu placeas Deo, sed quia id, quod facis Deo placet, Deum honorat, Deum oblectat. Solius Dei gustum & gloriam specta sine ullo affectu ad commoda tua etiam spiritualia. Ipsa dona supernaturalia non petes, quia cedunt in bonum tuum, sed quia per hæc impletur Dei voluntas, & quia his in te visis Cor Dei oblectatur ita suadet S. Paulus: *Sive manducatis sive bibitis sive aliud aliquid facitis, omnia in Dei gloriam facite,* & Clemens Alexandrinus: *Qui perfectus est, opus bonum eo solo expetit, quoniam honestum est, & quia Deum amat. ea operum ipsius causa longè gravissima est. ausim enim dicere, non eo operatur, quod salvus esse velit.*

Porro

Porro si agnoscere velis an tam puram intentionem in operibus tuis procedas. id ex eo colliges. 1. Si ægrè fers opera tua vituperari, aut non laudari, aut non succedere, ideoque cupias ab iisdem desistere, signum est te non purè quærere Deum. 2. Si minùs diligenter te præparas ad conciones v.g. quando habenda sunt in loco vili & coram paucis auditoribus, ac te præparare soles, cum dicendum est coram multis, & hoc signum est, te præter Deum adhuc spectare plausum populi.

Porro praxis intentionis tam puræ erit hæc. Elige tibi certos Sanctos, per quorum manus actiones tuas offeras Deo v.g. die dominico venerare certos tuos patronos, die Lunæ Sanctos parvulos innocentes, die Martis Virgines & Viduas, Mercurij Confessores, Jovis Martyres, Veneris Apostolos, Sabbathi Angelos. Manè ergò cum iurgis ita intentionem formabis: *Ego N. (insere nomen tuum) conspectu & accessu Divinae Majestatis indignissimus, omnia mea verba, cogitationes & opera, omnes corporis animique motus vobis offero à Sancti Parvuli Innocentes & tibi etiam (nomina Patronum mensuum & annum, item Sanctum cuius festum eo die Ecclesia celebrat) Vos offerte Regina Matri, Regina Mater dignetur vilissima mea obsequia præsentare Iesu filio, & Iesus filius æterno Patri, imprimis in gratiarum actionem pro beneficiis omnibus, mihi & vobis à Divina Majestate con-*

cessis, secundo in satisfactionem istorum peccatorum quæ admisit anima illa, quam Beata Virgo præ aliis ex Purgatorio vult esse liberatam. Tertiò ad impetrandam mihi alijsq; gratiam copiosam proficendi valde in ijs virtutibus quæ maxime placent Divinae Majestati &c. Protestor tamen: Etiam si toto hoc die nihil sim impetraturus, modò possim aliquid facere quod suæ Majestati placeat, hoc mihi erit præmijs satis, nec quidquam pro meis obsequijs desidero, nisi majorem Dei gloriam, gustum, & obsequium.

Hic modus faciendæ intentionis est valde perfectus, & in se continet, humilitatem profundam, gratitudinem pro beneficijs detestationem peccati, insignem amorem proximi, Sanctorum, Deiparæ, & ipsius Dei, adeoque operâ diurna, quæ ex motivis tot virtutum fient, erunt Deo summè accepta.

Generoso pede calca omnem respectum humanum, nec in hominis gratiam aliquid mali facito, aut boni aliquid omittito. Operare semper corde libero excelsoque, quod iniqua hominum judicia non metuat, & opiniones honorificas non ambiat. Alloquere Deum sapius & protestare: Domine tibi soli, ita sentiebat D. Paulus inquitens: *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die, qui autem iudicat me, Dominus est.* 1. Cor. 4. v. 3.

Experientiâ discas debere cor separari ab omnibus creaturis, & ita vitâ esse instituentem

dam

dam ac si præter te & Deum nihil sit aliud in orbe, siquidem quiete animi solidâ & constante frui velis. Si vel unicus adhuc homo sit, ex quo solatii aliquid & recreatiunculæ minus sanctæ & defæcatæ adhuc speras, ideóque colloquium & conversationem eius avidè expetis, crede mihi multa tædia, & disgustus & inquietudines ab illo ipso homine tibi evenient, ita videlicet disponente Deo, & cor tuum totum ad se attrahente, ut tandem practicè discas sentire & dicere cum S. Ignatio: *Domine quid extra te volo, aut quid velim?*

In ipsis exercitijs pietatis nihil quære nisi Deum. velle tristari dum Christi præsentia devotione & gustu sensibili non sentitur, est amor imperfectus & sensualis adeóque eliminandus. Contentus esse debes solo Christo, illique adhærere tempore ariditatum & tentationum, & eum quasi juvare in cruce suâ ferendâ. B. Ludovicus Bertrandus, cum aliquando molestâ cogitatione infestaretur, audivit Deum se alloquentem: *Deo magis placet afflictio cordis, contritio & tribulatio, quàm dulcedo, solatium & consolatio.*

Cùm amor consistat ex mente S. Patris nostri Ignatij, in mutua facultatum rerum & operum communicatione, debes id Deo consecrare & penitus transcribere, quod tibi est charissimum. Undè si inordinatè amas opes, has Dei causâ profundes; si valde pro-

pen;

pendeas ad elationem animi, studebis despicientiae tui ipsius. Hæc est excellens Deum honorandi ratio, si ex respectu Dei teipsam inhonores, atque hanc inhonationem tuam que contemptum, pro summâ gloriâ reptites. rectè Chrysostronus: *Probrum autem & dedecus quid sit, ignoras charitas.* Amor Dei vehemens, piam quandam impudentiam parit, & omnem extinguit humani pudoris metusque sensum.

Verissimum est, quod ait S. Gregorius: *Signum amoris, non est in affectione animi, sed in studio bonæ operationis.* S. Greg. l. 2. in 1. reg. 4. Unde si verè Deum diligis, parebis exactè Dei præceptis, monitis Confessorum, Superiorum imperijs, Angeli tui inspirationibus. Vota quæ edidisti, proposita quæ concepisti servabis ad unguem, males millies mori, quam levisimâ culpa Deum deliberatè offendere. minimas etiam temporis particulas operibus meritorijs semper occupabis. In omnibus actionibus Deum purissimè quæres, & quidquid facies exquisita diligentiâ facies, ut tanto majorem gustum Deus percipiat.

Inter opera, ea semper amplectèris, quæ sunt perfectiora, & divinæ gloriæ magis conducibilia. Unde illa præliges, quæ sunt magis necessaria, ardua, amori proprio repugnantia, conjuncta majore cum ignominia, item ex quibus spiritualis fructus constat.

stantior & in plures redundat. gloriaberis cum Apostolo in cruce, tantum abest, ut eadem tristeris & dejiciare. dolebis impensè de peccatis tuis & alienis, omnemque lapidem movebis ut ea impediās. Gaudebis summè non solum de perfectionibus Dei intrinsicis, quia bona ipsius sunt, sed etiam de omni cultu & obsequio, quod eidem exhibent in cœlis beati, in terrâ homines, in orbe universæ creaturæ. Nullam omittes occasionem divinæ gloriæ propagandæ, & colloquiis tuis, exemplis optimis, modo sanctè operandi, omnium animos in Dei amorem inflammabis. Hoc scilicet est amare Deum.



P A R S Q V A R T A.

Pij affectus cupientis Sanctè mori.

DEsideras Christiane Theophile mortem sanctam? stude prius vitam sanctam ducere: nam qualis vita, finis ita: tum tempore morbi observa. quæ modò te moneo.

Omnes morbi dolores fer animo pacato, & morbum ipsum accepta tanquam singulare Dei beneficium, & tanquam medium, quo ipse salutem tuam impensè promovebit. Nam diligentibus Deum, & iis qui ad
vitam

vitam prædeſtinati ſunt æternam, omnia cooperantur in bonum. Materies itaque non querimonix, ſed gratiarum actionis, eſt morbus

Si quid in obſequijs aut cibis circa te negligatur, noli propterea turbari & queri, ſed ſtude in praxin ea redigere, quæ perfectus crucis amator Chriſti exemplo præſtare debet, & quæ ſupra p. 3. ſunt explicata.

Medico, & quibus tui cura demandata eſt amore Jeſu tui pro te obedientis uſque ad mortem, & tu obtempera in omnibus.

Medicinas ac potiones etiam amaras, generoſè exſorbe, memor fellis & aceti pro te à Chriſto deguſtati.

Si tibi bona ſint temporalia, de ijs mature diſpone, & in hac diſpoſitione majorem Dei gloriam intuens, & majus animæ tuæ bonum, cave ne Chriſti & pauperum obliſcare. Jis tamen ad quæ exolvenda Juſtitia te obligat, prius ſatisfacies, quàm ad ultro-neæ charitatis opera deſcendas.

Prima tibi ſit cura animæ, quam tempori Sacramentis omnibus muniri curabis. In hoc tam arduo negotio, à quo ſalus, & damnatio pendet æterna, ſatius eſt prævenire, quam præveniri

Ante ſuſceptionem Sacramentorum, ſi quæ diſſenſio inter te alioſve interceſſit, ea penitus aboleatur: & veniam offenſæ non modo precaberis ab altero, ſed veniam quoque

que

quo non rogatus concedes, certus, non esse tibi à Deo remittenda debita, nisi tu prius debitoribus tuis remiseris.

Dum æger es, id age, ut mens tua cogitationibus, sanctis occupetur, Ideoque interdum tibi prælegi curabis aliquid de passione Christi, de obitu Sancti alicuius illustris, de cruciatibus fortissimorum Martyrum, aut certè orationes aliquas plenas succo veræ pietatis, quarum penuriâ ne labores, ecce tibi id genus complures in præsentî parte subijcio.

EXERCITIA PRÆCIPUARUM VIRTUTUM per Quæstiones proposita.

Exercitium Fidei.

Credis O anima Christiana, quidquid credendum proponit sancta Mater Ecclesia?
R. Credo.

Credis Deum esse unum in substantiâ & trinum in personis, Patrem, Filium & Spiritum sanctum? R. Credo.

Credis secundam in Trinitate Personam, Filium scilicet amore tui incarnatum de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & hominem factum, passum & pro te in Cruce mortuum? R. Credo.

Credis in sanctissimo Altaris Sacramento contineri verum corpus & sanguinem Redemptoris ac Salvatoris tui IESU? R. Credo. Credis Cælum esse ubi sine fine gaudebunt electi & quotquot DEO
im-

impensè servierunt dum viverent? Credo.

Credis infernum esse in quo æternum punientur reprobis & quotquot unius etiam Lethiferi criminis Rei decesserunt è vita?

R: Credo.

Verbo, credis omnia quæcunque credenda proponit sancta Mater Ecclesia, sive illa scripta sint sive non sint? R. Credo.

Et credis hæc omnia quia Deus qui nec falli potest nec fallere ita revelavit? R. Credo.

Itaque quod corde credimus ore profiteamur & una recitemus Symbolum Apostolorum.

Exercitium Spei.

FRigere anima pretiosissimo Christi sanguine redempta, & si meritis atque operibus tuis, quæ exigua sunt & imperfecta parum confidis, senti nihilominus de Domino in bonitate: Et quidni benè speres de optimi Patris clementiâ, cui proprium est misereri semper & parcere? Resp. Spero.

Speras etiam in meritis Iesu Christi, quæ indigno licet applicare paratus est, & in acerbissimis ejus cruciatibus, ac morte pro te obita, ut te præservaret à morte secunda & cruciatibus sempiternis? Resp. Spero.

Speras (vel confidis) etiam post Deum in potenti Matris Misericordiæ, Angeli Tutelariorum & reliquorum Cœlitum patrociniis? Resp. Spero.

Nonne & speras ex infinita Dei bonitate

ac

ac misericordia in hac vita tibi obventura
omnia quæ ad beatitudinem consequen-
dam sunt necessaria, ac demum vitam æter-
nam? Resp. Spero.

Eccur speras hæc omnia? nõne fretus
omnipotentiâ quæ potest & bonitate quæ
vult ac denique fidelitate, quæ debet suc-
currere misero, quia promisit? Resp. Ideò
spero.

Age ergo spem animo conceptam ore ex-
primamus & unâ recitemus Orationem
Dominicam.

Exercitium charitatis.

Assurge hic anima Christiana, & reliquas
corporis animique vires collige; agen-
dum est hic negotium omnium negotiorum
maximum.

Age ergo nonne Deum tuum, Deum in-
quam tuum amas ex toto corde super om-
nia? Resp. Amo.

Ipsè est Pater tuus qui corpus dedit &
animam, ipsè est Liberator tuus qui in cru-
ce pro te vitam profudit & sanguinem, ipsè
est summus Benefactor tuus qui innumeris
beneficiis hætenus in te collatis plura adjic-
iet conferenda in Cælis: nonne vel ideò
eundem redamas? Resp. Redamo.

Ipsè est pulcherrimus, optimus, maxi-
mus, ipsè ipse est summum & infinitum bo-
num, tua simul & sua ipsius beatitudo.
Nonne igitur amas nullo non amore dignis-
simum? Resp. Amo. Et

Et doles ex animo quòd Deum tuum adeò bonum ullo unquam etiam levissimo peccato offenderis? Resp. Doleo ex animo.

Proponis ergo seriò vitæ adhuc superstitis emendationem? Resp. Propono.

Et ut rigori Justitiæ divinæ fiat satis quoscunque dolores quascunque molestias ac morbi tædia æquo feres animo? Resp. feram.

Age ergo amorem illum quò Deum tuum prosequeris, ac dolorem quo peccata præterita detestaris, voce exprime, ac me in verba præcuntem sequere. Dicamus ergo pariter toto cordis affectu: O Deus summe Benefactor meus, ago tibi gratias pro universis beneficiis tuis mihi & aliis collatis aut conferendis in omnem æternitatem,

Credo in te suprema veritas.

Spero in te æterna felicitas.

Revereor te immensa Majestas.

Glorifico te O sanctissima Deitas.

Amo te incomprehensa bonitas.

Doleo medullitus quod unquam offenderim te.

Invocatio Iesu, Mariæ, & Sanctorum.

O Sancti Angeli & Seraphici Spiritus, & tu imprimis fidelissime Custos meus, impetrate mihi à Iesu per Mariam, ut Iesum meum sic amem, quemadmodum vos eum amatis, ex toto corde super omnia. Angelicæ

licæ tutelæ vestræ commendo corpus & animam meam nunc & in hora mortis meæ, Amen.

O Sancti Patriarchæ & probati per omnia Patres, impetrate mihi à Jesu per Mariam, ut neminem timeam, nisi Jesum, nihil sperem, nisi Jesum: Paternæ Curæ & pietati vestræ commendo corpus & animam meam nunc & in hora mortis meæ, Amen.

O Sancti Prophetæ, illustrati cœlitus vates impetrate mihi à Jesu per Mariam, ut vivâ & firmâ fide credam omnia, quæcunque Iesus meus Ecclesiæ suæ revelavit, & in hac ac pro hac verâ fide mori paratus sim: benignissimæ providentiæ vestræ commendo corpus & animam nunc & in hora mortis meæ, Amen.

O sancti Apostoli, indefessi Zelatores & propagatores gloriæ Dei, impetrate mihi à Jesu per Mariam, ut ad Iesu mei honorem & amorem vivere & mori cupiam: in thaururgas manus vestras commendo corpus & animam meam nunc & in hora mortis meæ, Amen.

O sancti Martyres, magnanimi Heroes, impetrate mihi à Jesu per Mariam, ut vestro & Iesu mei exemplo unica voluptas & consolatio mea sit pati: sanguis vester amore Jesu profusus sit robur & unctio animæ meæ: in victoriosas manus vestras commendo corpus & animam meam nunc & in hora mortis meæ, Amen.

O san-

O sancti Confessores, in pœnitentiâ, patientiâ & humilitate sincerè probati, impetrate mihi à Iesu per Mariam, veram pœnitentiâ peccatorum meorum : in fidelissimum & compatiensissimum cor vestrum commendo corpus & animam meam nunc & in hora mortis meæ, Amen.

O sanctæ virgines, nive candidior turba, impetrate mihi à Iesu per Mariam, ut cor meum immaculatum sit in omnibus justificationibus Domini : in virgineum sinum vestrum commendo corpus & animam meam, nunc & in hora mortis meæ, Amen.

O sanctæ Viduæ, devotæ ardentesque animæ, impetrate mihi à Iesu per Mariam, ut exemplo vestro Iesu meo soli adhærescam, & cum Iesu animus meus ac cor meum semper sit unitum : pio vestro devotoque patrocinio commendo corpus & animam meam, nunc & in hora mortis meæ, Amen.

O sanctæ Coniuges, impetrate mihi à Iesu per Mariam, veram Christianam dilectionem omnium hominum etiam inimicorum meorum, ut eos sic amem quemadmodum eosdem amavit Iesus meus in lecto mortis ac crucis suæ : in amabilia brachia vestra commendo corpus & animam meam nunc & in hora mortis meæ, Amen.

O vos omnes Sancti & Electi Dei, & præ omnibus, suavissima Mater mea, Regina Sanctorum omnium Maria, impetra-

te mihi á Iesu, vestro ac meo Deo & Domino, ut post exutam hanc mortalitatem beatificè ipsum vobiscum videam in omnem æternitatem. O Maria, materno cordi tuo, commendo cor meum : O Electi omnes, sanctissimo fidelissimoq; cordi vestro commendo cor meum nunc & in hora mortis meæ, Amen.

Preces jaculatoriæ pro Infirmis.

O Iesu, in te credo : in te spero : te amo ex toto corde meo.

O Iesu, doleo de omnibus & singulis peccatis meis, quod te illis summum bonum meum offenderim.

O Iesu, meus es tu, & ego tuus sum in æternum : tuus sum, mi Iesu, sive vivam, sive moriar.

Iesu Fili David, miserere mei.

Iesu, in sacratissima vulnera tua commendo corpus & animam meam.

O Iesu, Iesu, Iesu, esto mihi Iesus, id est, Salvator in vita, & in morte.

O benignissime Iesu, dic animæ meæ : salus tua ego sum. Peccavi, ô Iesu, in cœlum & coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus.

O Iesu, Dominus meus & Deus meus, propitius esto mihi peccatori.

O Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi interpone quæso passionem & mortem tuam inter iudicium tuum & animam meam.

O Ie-

O Iesu, fiat voluntas tua sicut in coelo & in terra.

O misericordissime Iesu, ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Adoro te, Domine Iesu Christe, & benedico tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum.

Mater Dei, memento mei.

Suaves affectus ad Christum crucifixum.

1.

Iesu, mea delicia,
Et fide Custos anima.
Te crucis fixum arbore
Mens ardet omni tempore.

2.

Te Iesu stringo brachiis
Et osculis tenerrimis
Plagas tuas reverentior
Ac intimè tum recreor.

3.

Compatior medullitus
Cum nudum cerno penitus,
Qui mihi est præ opibus
Thesaurus præstantissimus.

4.

O Iesu tuæ lachrymæ,
Angores & tristitiæ,
Meam solentur animam
Iugemque dent lætitanæ.

5. Cla

5.

Clavi tui sunt spicula
Casti amoris jacula.
His dulciter me vulnera
Et cor potenter penetra.

6.

Tua corona spinea
Mihi placet pro gemmea.
Præ rosarum profluvio
Has ego spinas ambio.

7.

Tuo divino corpore
Mentis humana robore
In mortis hoc itinere
Dignare nunc me pescere.

8

Tuo mi Iesu sanguine
Potu languentis animæ,
Afflictum me nunc recrea,
Æstusque morbi tempera.

9

De tuo Iesu funere
Da cordi meo vivere.
In cordis tui vulnere
Dignare me abscondere.

10.

Ad te mi Iesu verto me,
Et me commendo unice
In tuis sanctis manibus
Meus respiret Spiritus.

K

11. In

I.

In hac mortis Angustia,
Mi Iesu, per sanctissima
Te supplex oro vulnera,
Culpæ ne gravent pondera.

II.

O Iesu tecum morior
In Cruce tibi Socior
In coelis dum beatior
A gloria inebrior.

Testamentum hominis Christiani, quod sibi infirmus potest curare praelegi post susceptam extremam unctionem.

O JESU. ô liberalissime, dulcissime & amabilissime Domine Deus ego N. creatura & opus manuum tuarum gratias ago divinae Majestati tuae pro immensa caritate tuâ, quam mihi in susceptione sacrosanctorum Sacramentorum exhibere voluisti. Gratias tibi ago, ô JESU, pro omnibus & singulis communibus & particularibus beneficiis tuis, quæ mihi sine ullis meis meritis, nec attentis etiam multiplicibus meis offensionibus à primo momento vitæ meæ ex mera bonitate & gratia tua præstitisti. Gratias tibi ago, ô JESU pro infinitâ patientiâ & longanimitate tuâ, quâ totius vitæ meæ peccata tam æquanimiter & impunè dissimulasti: Pro divina providentia tua, quâ tam mirabiliter me per adversa & prospera deduxisti: pro omni Cruce & adversitate,
pro

pro omni persecutione, dejectione & diminutione honoris mei: pro omni temporali damno & dolore corporis mei, qui unquam mihi accidit, & tu in bonum meum suavissimè disposuisti. Gratias tibi ago, ô JESU, pro benevolo affectu divinæ æternæque dilectionis, & misericordiæ tuæ, erga me licet undecunque indignissimum & ingrattissimum homuncionem, ex quo omnia tua beneficia profluxerunt. Et ecce, mi JESU, ex gratissimo & amoresissimo corde.

Ego N. licet indignissima & abjectissima creatura protestor coram te, mi JESU, & Mariâ tuâ ac meâ dilectissima Matre, coram Angelo meo tutelari, N.N. & omnibus Sanctis, quod in verâ fide, firma spe, perfectâ Charitate in te, ex hac vita discedere ac mori cupiam. Heu! poenitet me, quod dies vitæ meæ tam bonos tam malè ego impenderim! quod te, mi JESU, non semper & ubique dilexerim! utinam vel residuo vitæ meæ qualicumque spatiolo te ut par est & teneor, diligerem & colerem, & in omnibus perfectum fierem holocaustum amoris tuo.

JESU Cœlestis Rex meus, ego cœlestibus bonis extremè destitutus amore tui lubens & ex toto cordis affectu desero cuncta temporalia bona, ut te frui possim, mi Jesu, qui es unicum & summum bonum meum. Si universus mundus meus esset, venderem

illum pro his duabus voculis : mi JESU, bonum est tibi soli adherere, mi Jesu, Dominus meus & Deus meus, Deus meus & omnia.

Jesu Judex vivorum & mortuorum, ego justorum tuorum minimus; maximus autem peccatorum, corpus meum peccaminosum terræ committo, & omni ex parte contentus sum, ut à vernibus absumatur; profecto, mi Jesu, multò aliquid deterius pro meritum est, Tua tamen, mi Jesu, tanta bonitas est, ut quod nunc mortale est, resuscitaturus aliquando sis ad immortalitatem, Credo quod in hac carne mea visurus aliquando sim oculis meis te salvatorem meum, & auribus meis auditurus vocem tuam, & linguâ mea gustaturus, quàm suavis sit dominus, & odoratu percepturus odorem unguentorum tuorum, & manibus meis amplexaturus & æternum retenturus te, quem diligit anima mea. Hoc est unicum gaudium meum, mi Jesu, quod te veneraturus sim corpore meo in æternum, quoties in despectum tuum vitæ meæ decursu turpissimè sum abusus.

Jesu supreme Domine ac Rex, ego tibi unde quaque proprius, ego mancipium tuum toties tamen contra omne jus & fas factus rebellis & refractarius, dono tibi cor meum cor meum dono tibi, mi Jesu, ut tibi sit in domum, quam inhabites: in thronum, cui in-

fideat

fideas: in lectulum, in quo requiescas: in peculium & hæreditatem sempiternam, quam irrevocabiliter possideas. tuum, tuum est cor meum, mi Jesu, in æternum.

Jesu amantissime Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum: amabilissimo & vulnerato cordi tuo trado miseram discedentem animam meam. Hac, ut penitus confido, conspecturus aliquando sum te, mi Jesu; & amaturus æternum. Amen, Amen, Amen.

JESU ardentissime amator hominum, amore tui & exemplo tuo ignosco omnibus inimicis meis, imò diligo eos, & gratias ago, quòd ansam mihi præbuerint patiendi aliquid pro te, mi Jesu. Vicissim etiam veniam peto dimissimè ab omnibus ijs, quos unquam qualitercunque offendi: ignoscere mihi dignentur omnes excessus & defectus meos, non quia ego id peto, sed ex amore & reverentia, quam debent tibi, mi Jesu. Valete itaque amici & inimici: valete omnes homines, & quia ego nunc mundum deserturus sum, vos deinceps in amando & honorando Jesu meo vices meas supplete, imò compensate, quicquid à me in amore & cultu ejus neglectum hæctenus est.

Denique ô mi Jesu, Dominus meus, Pater meus, Deus meus & omnia, mi, mi amantissime Jesu, accepto mortem de sanctissima voluntate tua in satisfactionem omnium

peccatorum & negligentiarum mearum, & conjungo, unio ac devincio eandem cum pretiosissima morte Jesu, Mariæ, & omnium electorum tuorum, pro quibus & cum quibus tibi gratias ago, & gaudeo, quod post mortem meam te ultra nunquam sim offensus, speroque fore, ut amaturus te sim æternum, ô summum bonum super omne bonum: ô pulchritudo super omnem pulchritudinem: ô amor super omne, quod amari potest. ô Jesu, tuus sum in vita & in morte. Jesu tuus sum, tu meus es, ô Jesu, idq; æternum, æternum, æternum, Amen.

*Divina Majestatis tuæ & paternæ bonitatis
Submississimus servus, obedientissimus filius*

N.N.

*Devotus agon mortis, fidelis
anima.*

HUmiliavit semetipsum Dominus noster
Jesús Christus factus obediens usque ad
mortem, mortem autem crucis.

Jesu crucifixe, miserere mei.

Jesu fili David, miserere mei.

Jesu agne Dei, qui tollis peccata mundi, mi-
serere mei. Jesu fili

Dei vivi, fili Mariæ, salus infirmorum, refu-
gium peccatorum,

Deus, Deus cordis mei, miserere mei in his
angustis meis, ne abjicias me, qui credo
in te: ne repellas me, qui spero in te: ne
permittas me separari á te, qui amo te ex

COR-

corde meo & amare te desidero in æternum.
Jesu in manus tuas: Jesu in vulnera manuum
& pedum tuorum: Jesu in amantissimum &
fauciatum cor tuum commendo corpus &
animam meam.

Jesu crucifixe, miserere mei memento
quæso, suavissime Redemptor meus, omniū
angustiarum & amaritudinum, quas ô mi
Jesu, in hora mortis tuæ pro me sustinuiſti :
ne permittas obsecro, humanissime Jesu, ut
misera & peccatrix anima mea à malignis
spiritibus angustietur in discessu suo. Tu mi
Jesu, sis defensor meus, & introduce me in
æternam libertatem filiorum Dei, ut ibidem
in pace & gaudio fruam te sine fine. Jesu in
sacratissima vulnera tua commendo corpus
& animam meam.

Jesu, in te Credo.

Jesu, in te spero :

Jesu, te amo ex toto corde meo.

Doleo ex animo, quod unquam offende-
rim te.

Jesu, tibi vivo: Jesu, tibi morior.

Jesu, tuus sum in vita & in morte.

Jesu crucifixe, miserere mei. Et tu, mi Je-
su, in extremis doloribus tuis non oblitus es
inimicorum tuorum, sed suppliciter pro
eis deprecatus es patrem tuum dicens: Pater
ignosce illis, quia nesciunt quid faciant. Ec-
ce, mi Jesu nolo esse inimicus tuus, sed ami-
cus potius, & filius esse desidero, idque æter-

num. Age itaque & nunc deprecare pro me æternum patrem tuum: nec aspicias, ô misericordissime Jesu, multitudinem peccatorum meorum, de quibus ex animo doleo, sed infinitum thesaurum passionis & mortis tuæ. Et quemadmodum, ô Jesu, pœnitenti latroni; ita & nunc dic mihi: hodie mecum eris in Paradiso. Jesu, in sacratissima vulnera tua commendo corpus & animam meam.

O Sancte Michael præposite Paradisi: O Angele mi Custos: ô omnes Sancti & sanctæ Dei, suscipite animam meam, & apud æternum Judicem suscipite patrocinium ejus contra omnes accusationes dæmonum.

O Jesu, propitius esto mihi & miserere mei.

Jesu, in quem credidi, miserere mei,

Jesu, in quem speravi, miserere mei.

Jesu, quem dilexi, miserere mei.

Jesu, ego tuus sum, tu meus es, ô Jesu, æternum.

Quod si notetur, protrahi adhuc luctam agonizantis, orari possunt pro infirmo Litanie omnium Sanctorum, & post absolutam aliquã earum partem, subinde inclametur agonizanti: Jesu, in quem credidi &c.

Jesu crucifixe, miserere mei. Tu mi Jesu, in extremis tuis dixisti Mariæ de me: Mulier, ecce filius tuus & de Maria mihi: Ecce Mater tua. Ita mi Jesu, Mater mea est: in suavissimis brachiis hujus Matris meæ & vivere &

re & mori cupio. Tu, mi Jesu, pendens è cruce clamaſti. Sitio. ſitisti animam meã & anima mea viciffim ſitit ad te. quãdo ſatiabis me de fonte aquæ viventis, & de torrente voluptatis tuæ? Tu mi Jesu, teſtatus es, omnia conſummata eſſe, quæ mandavit tibi Pater tuus; hoc, pro dõlor teſtari ego non poſſum, ſed commendo me meritis tuis & per ea ſpero miſericordem Patrem. Tu, mi Jesu, queſtus es in cruce, quòd propter delicta mea de reliquerit te Pater tuus: per hanc extremam derelictionem tuam obſecro te, ne derelinquas me, ſed tu ſis cõſolatio mea, fortitudo mea, amor meus, gaudium meum in ſæcula ſæculorum. Tu mi Jesu, commendaſti ſpiritum tuum in manus Patris tui, & ego commendo corpus & animam meam in Maternum ſinum Mariæ: in ſacraſſima vulnera Redemptoris mei; in manus cœleſtis Patris mei.

Maria Mater gratiæ &c.
 Jesu mi amantiſſime,
 In te credo firmiſſimè,
 In te ſpero certiſſimè,
 Te amo fideliffimè,

Hic ſubjungì poſſunt Litania de B. Virgine, ita, ut ſubindè inferatur velut ſuſpirium: Maria Mater gratiæ &c.

Jesu crucifixe, miſerere mei: O Jesu, oro te, per precioſum tuum pro nobis effuſum cruorem, miſerere mei: Sanguis tuus ſit queſo

So balneum salutare peccatricis animæ meæ.
 O Jesu, oro te per crudelissimam & dolori-
 sissimam coronationem tuam, miserere
 mei, & tribue mihi coronam justitiæ.
 O Jesu, oro te, per amarissimum &
 acerbissimum fel & acetum, quibus in ex-
 tremis refocillatus es, miserere mei, & sis
 solatium & refocillatio mea in æternum. O
 Jesu, oro te, per foedissima sputa, quibus be-
 nedicta facies tua conspurcata est: per sacra-
 tissima quinque vulnera: per omnes plagas
 & livores universi corporis tui: per infer-
 mem illam speciem tuam homini profus
 absimilem, ob quam nec reputatus es, &
 quam mei causa sponte suscepisti, oro te, ne
 sit frustranea in me dirissima passio tua. O
 Jesu, oro te, per acerbissimam & ignominio-
 sissimam mortem tuam, quam ex amore mei
 suscepisti. miserere mei, & concede, ut hæc
 mors tua sit vita mea sempiterna. O Jesu, in
 sanctissima vulnera tua commendo corpus
 & animam meam.

Jesu tota fiducia mea,
 Jesu tota ratio spei meæ:
 Jesu unicus amor meus.
 Jesus Deus meus & omnia,

Non fac mecum secundum justitiam
 tuam, sed secundum magnam misericor-
 diam tuam.

Addit

Addi hic possunt Litania de Nomine JESU ,
vel de passione Domini.

JESU crucifixe miserere mei. O Jesu, oro te, per omnia obsequia, quæ à Cherubinis & Seraphinis, & reliquo cœlestium spirituum exercitu tibi exhibentur. O Jesu, oro te, per probatam Patriarcharum fiduciam: per admirabilem Prophetarum veritatem: per igitum Apostolorum Zelum. O Jesu, oro te, per invincibilem Martyrum constantiam: per diuturnam confessorum pœnitentiam: per immaculatam Virginum puritatem: per merita omnium Sanctorum. O Jesu, oro te per dilectissimam Matrem tuam, quam ut tu ita & ego præ omnibus diligo. O Jesu Deus cordis mei, oro te per Spiritum Sanctum: per æternum Patrem: Oro te per te-metipsum, miserere mei in hac extrema angustia mea: Tuere me contra omnes insidias & tentationes inimici: Esto mihi clemens & misericors judex post exitum vitæ meæ, & fac audire merear desideratam vocem illam: Veni benedicte, & posside regnū Patris tui. O Jesu, in sacratissima vulnera tua commendo corpus & animam meam.

Jesu tibi vivo:

Jesu tibi morior.

Jesu, esto mihi Jesus in vita & in morte.

O Jesu in fide tua vivere & mori cupio.

O Jesu, etiam si occideris me, in te tamen sperabo.

O Je-

O Iesu, etiamsi affligens me non parcas,
te tamen amabo,

O Iesu amabo te sine fine,

Ne avertas faciem tuam à me.

Sancte Ioseph, Ora pro me.

Sancta Maria assiste mihi.

Iesu miserere mei.

In brachiis tuis, ô Sancte Ioseph, moriar:

In sinu tuo, ô Mater Maria, requiescam.

In sanctissimis vulneribus tuis, ô Iesu,
æternum habitabo.


JESUS, MARIA, JOSEPH.


Anima Christi sanctifica me &c.


*Commendationem animæ & alia quædam supra
in Indice citata brevitatis causâ omittere pla-
cuit, & in editionem alteram vel in Auctarium
brevis addendum rejicere. Tu interim Christiane
Theophile, his, quæ modo apposui, frueri ad
animæ tuæ salutem & ad majorem
Dei gloriam.*


F I N I S,



















Th

3247